BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
13 — B
45

8-1
T. VII. m

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

8.13-B-45

OFFICINA SPIRITVALIS SACRIS CONCIONIBVS ADAPTATA.

Authore IOANNE PALVDANO, *S. Theologiæ Doctore ac Profeſſore, ac D. Petri Louanij Plebano.*



LOVANII,
Typis PHILIPPI DORMALII,
cIↃ. IↃC. XXIV.

Digitized by Google

8 . 13 . B . 45

Digitized by Google

REVERENDO
IN CHRISTO PATRI
MERITISSIMO
PRÆSVLI
D. IOANNI
DE HASELER
Abbati Dielegemenſi.

VT *à tua luce*, REVERENDE ANTISTES, *meus in hac lucubratione conatus, in lucem iret: duabus de cauſis putaui cōſultiſſimum;* Prima: *Quòd ſæpius mihi exoptârim affectum erga Or-*

dinem veſtrum, pro re natâ, exteriori calamo, delineandi occaſionem: Ordinem dico, cui ſolenne nomẽ dedit Pręmonſtratum, *cuiuſq; Etymon, admiranda dignoſcitur præ ſe ferre; quæ in illius incunabulis declarata ſunt: cum videlicet Angeli monitu (teſtantur Præmonſtratenſi Breuiario antiquitus præfixi verſus) Religioſis hominibus, illius Albo adſcriptis, candidus amictus* Præmonſtratus eſt. *Liceat mihi & aliam, in medium adferre, quam in Grudiorum ſolo,* Reuerendi *in Belgio* Præſules, Præmonſtrato *Etymologiam conciliârunt; qui concordibus vòtis, pro Reip. bono, in Louanienſi Academia, Collegium piè excitârunt, communi ſumptu honorificè fundârunt, beneficijs lautè cumulârunt. Cùm enim viderent, ac ſeriò perpenderent, hac ætate, tot, variarum & compugnantium hæreſeon monſtra ali, & in Chriſtianum Orbem ex Nouatorum latebris prodire, qui Sacræ Scripturæ intellectum ad ſui cerebri amuſsim reuocant audacter, & ex*

pulcherrimis & fragrantiſſimis Sanctorum Patrum floribus, araneorum inſtar, legunt venenum, opportunè ad nouum & Sacrum Diſciplinæ Monaſticæ & Scholaſticæ aluearium conſtruendum, Prudentiſſimi Patres *manum appoſuêre; in quo Præmonſtratenſes Alumni, vt piæ, diligentes, & argumentoſæ, (quod S. Cæciliæ Epitheton tribuit Eccleſia) apes verſarentur, optimum, ſuauiſſimumq́ mel pietatis & eruditionis, pro diuerſis variorum hominum ſtatibus, vt cellulis, colligerent in Eccleſiæ ædificationem. Quâ ratione* Reuerendi Abbates *viam multis* præmonſtrant, *quibus medijs Religioſorum Ordo efflore ſcat.* Præmonſtrant *inſuper, quibus armis inſtrui debeant, qui hoc vlceratiſſimo ſæculo, in duram Curæ animarum Palæſtram, ad vitia debellanda ſint egreſſuri. Sed & ipſi Norbertini Ordinis, Theologiæ candidati*, ſollicitudine (*vt Apoſtoli verbis vtar*) non pigri, ſpiritu feruentes, Domino ſeruientes, *In frequentandis lectio-* Rom. 12.

nibus, & alijs Scholæ Academicæ exercitijs (vt abſque inuidiá proferam) multis etiam iter præmonſtrant, *quibus gradibus ad honores Scholaſticos, cum laude ſit aſcendendum, vt maiori cum applauſu & fructu manumiſſi, in paſcendis Chriſti ouibus operam ſuam impendant.*

Secunda: *Quod vetus amicitia, & familiaris conſuetudo ante annos viginti, & amplius inter nos contracta, iure ſuo poſtularet, vt mei erga te, amoris & obſequij extaret monimentum. Amicitiæ initium dedit probatiſſimus Adoleſcens Henricus Frater tuus Germanus, quem iam iam Cognatæ meæ Coniugio deſtinatum, præmatura mors, Anno* 1600. *abſtulit, ex Familia, Ampliſſimi Domini* Leſanij, *in* Magno *apud Machlinienſes* Parlamento *tunc* Conſiliarij, *qui illum ob ingenuam indolem, & præclaras animi dotes paterno ſemper affectu eſt proſecutus. Contuebatur Vir ille Conſultiſſimus, cum multis alijs,* REVERENDE DOMINE,

mores

mores tuos, & humanitatem, quâ omnibus eſſes gratus, quodq́; in omni actionis genere, ad quibuſuis hominibus, vrbanitatis, & charitatis officia exhibenda, natus videreris; & longè abeſſes illâ etiam ætate, ab illorum opinione, qui homines quos Spirituales *appellamus, truncos effingunt & ſtipites, abſque ciuili cultu, commoditate, & ſuauitate quotidianæ conuerſationis, quâ inuicem alioſque beneuolè & hilaritèr excipiant. Si verum fateamur, fauent hæc officia, non officiunt charitati, & vel argumenta ſunt, vel effectus, vel cauſa,* Chriſtianæ Modeſtiæ, *quæ imperat, quod Sacris litteris expreſſum eſt:* Honore inuicem præuenientes. Rom. 12. *Quocirca cum ex Diuinæ Prouidentiæ Officinâ; Sacra tibi nunc Inſula delata ſit, in amicitiæ arrham, chartaceum hoc munus in tuâ Inauguratione offerendum (niſi præteritum gelu prælum retardâſſet)* Tuæ Reuerendæ Paternitati *dedicare, nihil duxi antiquius. Scio, quod præclara illa mens, animo*

tuo inſideat, non tam ea, quæ in Monaſticis Ædificijs, extùs patent, reſtaurare, quàm ingenia tuorum extimulare, & ſuaui velut incentiuo, promouere ad ſtudiorum oblectamenta; quò fiet, vt felicis Oliuæ Norbertinæ felix ramus, ſuauiſſimos & pinguiſſimos fructus producens, Reipublicæ, non exiguum reportes emolumentum, & adeptam ſudore prouinciam, in amore & honore omnium non deſinas adornare. In laudes tuas altiuſculè inſurgerem, & plurima, quæ à tua probitate, annis tredecim, in Paræci functione, & viginti, in Prouiſoris munere, profecta ſunt, recenſerem; verùm quâ modeſtiâ præditus es, fuſiora præconia aſpernaris. Quare obiter tibi dixerim, Magnis viris hoc eſſe perſuaſiſſimum, quod cum hactenus tuâ humanitate, in cunctorum ſinum te effuderis, in hac etiam dignitate, omnes, tum illos maximè, quibus pro Patre, Amico, Mæcenate, viuere vis, eorumque bonos auſus, Beneuolentiæ Tuæ

aurâ, imposterum ſis recreaturus. Hoc Virtutis Tuæ, & rectè factorum germanitatis teſtamentum, ducet ad Summum Deum; à quo, vt tuis, & Patriæ, feliciter & diu viuas, & valeas, medullitùs precor.

R. P. T.

Cliens

Ioannes Paludanus.

Digitized by Google

CENSVRA.

Hanc Spiritualem Officinam, piam, eruditam, ac prælo dignam cenſeo.

GVILIELMVS FABRICIVS, *Apoſtolicus ac Regius librorum Cenſor.*

Cum Priuilegio Potentiſſimi Regis Catholici Hiſpaniarum ad ſexennium.

Digitized by Google

OFFICINA SPIRITVALIS VARII GENERIS IN ECCLESIA PRECVM.

PRÆLOQVIVM.

QVandoquidem horum temporum ſtatus iure ſuo expoſtulare videatur vt ſi vnquam aliàs, nunc pro Reipub. conſeruatione feruentiſsimis precibus incumbamus, permouit me Indictio publicæ Orationis Quadraginta Horarum quam toti Eccleſiæ communem fecit, Sanctiſsimus

Pontifex VRBANVS OCTAVVS, *ad Diuinum auxilium initio ſui Pontificatus, pro ſalutari regimine Catholicæ Eccleſiæ implorandum. vt in vnum aliquod Opuſculum congeſta concinnarem, quæ ad hunc Orandi modum & alios in Eccleſia vſitatos, fidelibus commendandos, facere viderentur, qua in re, quantum fieri poteſt, breuitati ſtudebo, & ex diuerſis Sanctorum Patrum floribus mella componens, paucas fauorum cellulas (ne tædium Lectori adferam) coaptabo, ea in primo quaſi limine adferendo, ex quibus in liquido maneat, quid hîc ad noſtrum pertineat inſtitutum.*

CAPVT I.

ORATIONIS EFFICACIA.

VT conuenienti Methodo progrediamur, primò Orationis Efficacia expendenda; quę tanta eſt, vt non abs re inter Doctos feratur Prouerbium: *Verborum maior vis eſt quam armorum*, quod enim arma non potuerunt, euicerunt verba, teſtatur hoc apud Hiſtoricos Antiquitas, ex qua duo exempla in medium afferre ſuffecerit. Primum de Ambroſio, qui mortuo Auxentio Ariano Epiſcopo, Mediolanenſibus de Succeſſore deligendo diſſidentibus, cum multa de quiete & tranquillitate Reipub. præclarè dixiſſet, ſeditionem commotam planè ſedauit. Secundùm de Leone Primo, qui cum Rex Hunnorum Attila cognomento flagellum Dei, in Italiam in-

uaderet, & ardenti furore Romam raperetur, iamque copias, vbi Mincius in Padum influit, traijcere pararet, Regi occurrit, & ſua Diuina eloquentia perſuaſit vt regrederetur, & paulò poſt inuadenti Vrbem Geiſerico eadem eloquentiæ vi, & Sanctitatis opinione perſuaſit, vt ab incendio, ignominia, & cædibus abſtineret. Vis elocutionis Remp. ſubinde perturbauit, ſed & perturbatam in momento ſedauit, tantùm poteſt ſapientis & eloquentis hominis viua vox apud homines, at verò apud Deum quantum momenti habet Oratio! ſi modo omnibus ſuis partibus conſtet, non illis quæ ex Eloquentiæ, ſed Fidei, Spei, & Charitatis fontibus depromuntur, non mulcetur Dominus, ſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed Oratione fideli. *Nulla*, inquit Chryſoſtomus, *profectò res eſt quæ poſſit æquari deprecationi, nec quidquam eſt fide potentius. Vtrumque vobis declarauit Anna* (Mater Samuelis:) *cum his enim muneribus accedens ad Deum, omnia quæ voluit,*

Chriſoſ. Homil. 1. de fide Annæ.

effecit.

effecit. Siquidem & naturam mancam ac ſterilem correxit, & vuluam, quæ concluſa erat, aperuit, & probrum ſuſtulit, & conuicia Æmulæ diſſoluit, ſéque ipſam ad magnam reſtituit fiduciam, dum è petra infrugifera ſpicam meſſuit comantem. Et alio loco de Oratione: *Magnum verè bonum Oratio:* inquit, *ſi virtute præditum hominem alloquens non parum ex eo capit vtilitatis: cui Deo alloqui datum eſt quot bonis fruetur.* Hanc ob cauſam, ſibi congratulatur Propheta, dicens: *Benedictus Deus qui non amouit Orationem meam, & miſericordiam ſuam à me.* Appoſitè miſericordiam cum Oratione coniunxit, nam ſicut illa, ſi iuſta ſit, ac bona, miſericordiæ munus eſt, ita meretur alia eiuſdem dona, & perſeuerantiam pro qua orandum monuit Auguſtinus. Alio etiam loco idem Pſaltes: *Apud me, oratio Deo vitæ meæ.* Hoc eſt, vt ait Auguſtinus: Intus habeo victimam quàm immolem, intus habeo thus quod imponam, intus habeo ſacrifi-

Homil. 79. ad populũ.

Pſal. 65.

Pſal. 91.

cium quo flectam Deum meum. Flectes autem ſi Oratio tua apud te ſit, ſi iugis ac perſeuerans, ac quaſi immorans: ſi meditata & attenta, & non foris vagans, nam ſi mens tua exteriùs diuagetur, nec intelligas quid dicas, tunc Oratio tua non eſt apud te, nec ipſe es apud te, ſed in numero illorum de quibus queritur Deus: *Hic populus labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me*. Quomodo enim fructum perciperes aut attenderet Deus orationi tuæ, cui ipſe non attendis? Præterea hæc verba: *Apud me oratio*, inſinuant dum quæuis incurrit offenſio vel difficultas, orationem in promptu, ac veluti ad manum ſemper habendam, & velut limacis in morem domunculam orationis nobiſcum portandam, in quam confeſtim recurramus. Teſtatur de Franciſco Bonauentura, quod Orationis gratiam viro Religioſo, ſuper omnia deſiderandam, firmiter aſſeruerit, vnde cum crederet ſine ipſa nullum in Dei ſeruitio proſperari, omnibus quibus potuit modis, ſuos ad eius ſtu-

Iſa. 29

In vita cap. 10.

Digitized by Google

dium excitauit: & ambulans, ſedens, intus, foris, laborans, vacans, Orationi adeo fuit intentus, vt non ſolum quidquid in eo erat cordis & corporis, verum etiam operis & temporis, illi videretur dedicâſſe. Porrò ſi vnquam, certè in ærumnis, Orationis ſtudium adhibendum eſt, quare non immeritò poſt tot calamitates de hoc etiam (voce orandi) remedio ſibi relicto applauſit Iob, & ſeipſum conſolatus eſt, dicens: *Derelicta ſunt tantummodo labia circa dentes meos*, quaſi diceret: dum adhuc orare poſſum, non omnino perij, verbum enim in Hebræo ſonat ſanitatem. Nam ad extremum interitum deuênit, qui orandi ſtudium intermiſit. Videte aſtutiam Dæmonis, qui cæteras corporis partes ſæuiſſimè percuſſit, loquendi inſtrumenta illæſa eſſe voluit, vt liberiorem loquendi facultatem, & verbo peccandi, Iob occaſionem faceret. Verum Sanctus Propheta, non ad blaſphemiam & inutiles ſermones, integritate labiorum abuſus eſt, ſed ad iuſtas lamentatio- *Iob 19.*

nes

nes & aſſiduas preces, ſic artem Diaboli deluſit, & ad ſui defenſionem conuertit, dicens: *Derelicta ſunt tantummodo &c.* Hoc eſt, vt Regia vertunt: *euaſi cum pelle dentium meorum*, ſimiliter deluſus Sathan in facto Danielis, cuius æmuli Principes & Satrapæ, animaduertebant nihil in eo eſſe, quod eum ab obſeruantia Diuinæ legis deterreret, quocirca propoſuerunt Regi, vt aliquid ſanciret, quod abſque tranſgreſſione legis Dei, non poſſet obſeruari; & ſimul oſtenderent Danielem Edicto Regis non obtemperare, ſicque ei interitum & exterminium adferrent, nec aliam violandæ legis rationem excogitârunt, quam illam de qua Scriptura: *Vt omnis qui petierit aliquam petitionem à quocunque Deo & homine vſque ad triginta dies, niſi à te Rex* (inquiunt) *mittatur in lacũ leonum. Non inueniemus* (aiunt) *Danieli huic, aliquam occaſionem niſi fortè in lege Dei ſui*, manifeſtum eſt igitur ex ſolo Orationis ſtudio ſublato, vniuerſam Danielis religionem &

Danielis 6.

pieta-

pietatem ablatum iri, & Deum Iſraëlis contemptui habendum, Satrapas ſibi perſuaſiſſe, at Daniel aduerſus hæc machinamenta, non alio remedio, quam Oratione vſus eſt: nam *Cum Daniel comperiſſet, id eſt, conſtitutam legem, ingreſſus eſt domum ſuam: & feneſtris apertis in cœnaculo ſuo, contra Ieruſalem tribus temporibus in die flectebat genua ſua, & adorabat, confitebaturq́ue coram Deo ſuo ſicut & ante facere conſueuerat.*

CAPVT II.

Oratio multorum valida.

PОrrò licet Oratio quælibet, ſuis conditionibus adornata, magnæ ſit vtilitatis, Oratio tamen *generalis*, ſpeciali vtilior eſt, quod Sancti Patres, magno conſenſu litteris conſignârunt, ſed prius ex Sacris litteris quod aſſerimus, confirmemus. Sophonias Propheta, cum prædiceret Iudæorum reprobationem & Gentium vocationem, ita locutus: *Tunc reddam populis labium ele-* Sophon cap. 3.

ctum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & ſeruiant ei humero vno, labium electum, ſiue *mundum*, vt vertit Symmachus, & referente Hieronymo, & Theodoreto: Eſt iam non Deos nominare, ſed vnum Deum agnoſcere & adorare, ac ſi diceret: Ceſſabit omnis idololatria Gentium, vel vt Chaldæus: Conuertam in omnes Gentes locutionem vnam electam, vt precentur omnes in nomine Domini. Metaphora ſumpta ab ijs, qui ſimul humeros ſupponunt ad onus aliquod portandum, appoſitè Orationi aptata eſt. Nam ſi plures ad vnam rem perficiendam, congregentur, & conſpirent, nihil non perficient, & ſicut nulla maior impietatis exaggeratio, quàm quæ plurimorum conſenſu, conſilio, vno humero fit; ſic ad impetrandum ſcelerum veniam, quod in conuentu & congregatione multorum ardentius oretur, efficacius impetratur, & quæ ardua & difficilia videntur, fœliciſſimè conficiuntur. Vnus humerus omnium, mirum, quantum valeat ferre, nihil enim

recu-

recuſat, & ſicut vnus plurimorum hominum humerus, conſenſu animorum, & voluntate, cum alacritate portandum onus ſignificat. Ita ſi homines in cauſa pietatis & publicæ rei conſilijs, & animo conueniant, quàm facilè, quàm breui, magna cum celeritate, labio electo, proficiunt in bonum. Commendat in ſuo Epithalamio Dauid, ſponſum Eccleſiæ Chriſtum, & inter alia per Apoſtrophen ſic appellat: *Diffuſa eſt gratia in labijs tuis*, quo loco, formandæ vocis inſtrumenta, pro ipſa voce vſurpat, quaſi dicat: Abundè & largè tibi affluxit quædam Diuina eloquentia, & inſedit in labijs affluens Oratio, ad Patris gratiam & beneuolentiam conciliandam. *Propterea benedixit te Deus*, vbi cauſa finalis, particulâ, *Propterea*, deſignatur, ac ſi diceret: Vt ſermonis gratiam haberes, & gratiâ labiorum perfunderetis tam copioſâ & vberi *benedixit te Deus*. Et hoc nobis, ſolatij loco ſit, hanc gratiam labiorum Chriſti, quâ Patris gratiam conciliauit, ita cum benedictione Pſal. 44

& fœcunditate coniunctam eſſe, vt nobis etiam gratiam labiorum promeruerit, & noſtris precibus diuinæ beneuolentiæ conciliandę tribuerit facultatem, ſicut ſcriptum eſt: *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis*. Benedictus Chriſtus, vt ad alios, gratia labiorum redundaret, vt mortales inſtrueret, nobiſque benè precandi, & gratiam conciliandi, Author & Magiſter exiſteret, quod & factum eſt, cum Diſcipulis, rogantibus: *Domine doce nos orare, ſicut docuit & Ioannes Diſcipulos ſuos*, Reſpondit: *Cum oratis dicite, Pater noſter qui es in cœlis &c.* vbi communem Orationem hac orandi formulâ commendauit, quam *publicam* vocat Cyprianus, in cuius laudem Chromatius hæc adijcit: *Benè Dominus noſter pacis, ſic docuit orare, vt quidquid vnus peteret omnibus videretur proficere*. Oratio hęc quam *Dominicam* Chriſtiani vocant, Principem locum inter preces fidelium obtinens, publicè in myſterijs olim celebratis, (vt nunc) pronuntiata eſt.

Ioannis 16.

Luc. 11. & Matth. 6.

Mani-

Digitized by Google

Manifeſtum eſt illud, in Liturgiâ Iacobi Baſilij, Chryſoſtomi, & Germani Theoriâ. Idem etiam oſtendit Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi Myſtagogicâ. Quorſum (rogo) niſi publicæ Orationis gratiâ, Salomon templum ædificauit? Et vt diſputat Baſilius: *Quid eſt quod Apoſtoli Petrus & Ioannes in illud aſcenderunt ad horam orationis nonam*, niſi vt ſcribit Tertullianus libro de Ieiunio, Orationem commendarent, publicam videlicet. Et Chriſtus ipſe: *Domus mea, domus orationis vocabitur.* Quantò igitur fortiores & celebriores Orationes ſunt, quæ in congregatione in nomine Chriſti, à fidelibus fiunt. *Illuc in cœlum aſpicientes*, ait Tertullianus, *manibus expanſis, quia innocuis: capite nudo, quia non erubeſcimus? Denique ſine monitore, quia de pectore oramus: precantes ſumus omnes ſemper pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, Imperium ſecurum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, Orbem quie-*

3. Reg. 8.

In Pſal. 28.

Tertull. lib. de Ieiunio.

Matth. 21.

Apolog. cap. 30.

Digitized by Google

tum, & quæcunque hominis, & Cæſaris vota ſunt. Hæ Chriſtianorum, pro Imperatoribus preces fuerunt, quoties piâ veluti conſpiratione, coierunt in cœtum. Et quomodo Antelucani cœtus ab illis fiebant, & ſic vt ſcribit Iuſtinus Martyr in Apol. pro Chriſtianis Euchariſtici myſterij participes fiebant, niſi precibus & verbo præeunte? Itaque primorum Chriſtianorum praxis, publicam in cœtu fidelium Orationem commendauit, & ſtudioſè notauit illud Chriſti: *Matt. 18.* *Vbi duo vel tres ſunt congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*. Non ſolum in medio plurimorum, ſed etiam paucorum, in medio, inquam, vt adiutor, fautor, Orationis rector, precumque exauditor. *Hilarius in Matth.* *In tantum*, inquit, *humanæ pacis concordiæ Chriſtus ſtuduit, vt virtutis merito, omnia quæ à Deo precanda ſunt, impetranda eſſe confirmet. Et vbi duo atque tres pari ſpiritu atque voluntate collecti ſunt, ibi ſe medium illorum pollicetur futurum.* *Orationes pro inuicem factæ magni momenti.* Cum itaque Oratio multorum, faciliùs im-

petret

petret, non immeritò Chryſoſtomus vrget exemplum Pauli poſcentis communes has Orationes, *Vt pro ipſo, melius gratiæ Deo agerentur*, 2. Cor. 1. & Dei monentis amicos Iob, vt eo ad ipſum deprecatore vterentur. His addi poteſt, quod notat Ambroſius in hæc verba: *Si pro te roges, tantummodo pro te rogabis. Et ſi pro te tantum ſinguli orent, minor peccatoris quàm intercedentis eſt gratia, nunc autem quia ſinguli orant pro ſingulis. Ergo vt concludamus, ſi pro te roges, tantummodò, vt diximus, pro te rogabis, ſi autem pro omnibus roges, omnes pro te rogabunt. Siquidem & tu in omnibus es*. Ex his patet, quam magno pietatis fructu, in communibus Eccleſiæ neceſſitatibus, fideles conueniunt, iuxta monitum Sophoniæ, qui poſt deſcriptionem malorum, quæ populo ſuperuentura erant in die captiuitatis, eundem ad pœnitentiam vocat, ne faciat Deus quod minatus eſt. Ait ergò: *Conuenite, congregamini &c*. Hoc eſt colligimini, vt communibus ſtudijs, &

Hom. 3. de incompre henſibili Dei natura.

Iob cap. vltimo.

Libro 1. de Cain & Abel cap. 9.

Sophon cap. 2.

communibus precibus Dei iram auertatis, & eum vobis placatum propitiumque reddatis. Nam huiuſmodi collectione votorum & precum faciliùs Deus placatur, cùm in multis, neceſſe ſit aliquos exiſtere, quos
Ioel c. 2. ipſe caros habeat. Ioel: *Sanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate populum, ſanctificate Eccleſiam, coadunate ſenes: congregate paruulos, & ſugentes vbera.* Ita congregati clamauerunt Niniuitæ Ionæ
Iona 3. Iudith 3. 3. & Iudæi Iudith 3. Inde etiam in populo Chriſtiano, omnes in templa colligimur ad orandum. Vnde fortè Orationes ipſę *Collectæ* dictæ ſunt, & cum graue aliquid vrget ſolennes ſupplicationes indicuntur.

CAPVT III.

Argumenta Orationem impugnantium.

QVandoquidem Diabolus ſciat, ſtatim ab Aſcenſione Chriſti in cœlum quod puſillus ille grex fidelium, plurimùm Orationi fuerit deditus, nec ignoret ex orationis

virtute

Digitized by Google

virtute innumeras vtilitates in Eccleſiam promanare, Varia errorum monſtra contra orationem, in Orbem extruſit. De *primo*, enumeratis Apoſtolis, agit Lucas: *Hi omnes*, inquit, *erant perſeuerantes vnanimiter, in oratione, cum mulieribus & Maria Matre Ieſu, & fratribus eius.* Quibus verbis commendat triplicem illorum virtutem, inquit Bernardus, *Magnanimitatis, & longanimitatis in oratione, & vnanimitatis ſeu concordiæ inter ſe, quæ fidem, ſpem, atque charitatem, deſignabant.* Hoc fecerunt Diſcipuli, hortante ſine dubio, & exemplum præmonſtrante, *Dei Genitrice* quam ad ſuorum Filius diſcedens ſolatium, præſertim dum aberat alter Paraclitus, reliquit; quæque illos, ad orandum eſt exhortata. *Secundum* de vtilitate demonſtratur in ſequentibus.

Act. 1.

Bernard Serm. 5. De Aſcenſione

Primò, Athei orationis fructum negant, & prouidentiam tollunt, ſed contrà hos tanquam negantes Principia Theologica non eſt diſputandum.

Secundò, Non defuerunt qui dogmatizarunt, orandum non eſſe, quod Deus iam nouerit, quid nobis opus ſit. Horum errorem, vnanimi conſenſu confutârunt Sancti Patres: *Conſurgit*, inquit Hieronymus, *in hoc loco quædam hæreſis, Philoſophorum quoque peruerſum dogma dicentium: Si nouit Deus, quid oremus & antequam petamus, ſcit quibus indigeamus, fruſtrà ſcienti loquimur. Quibus breuiter reſpondendum eſt, non eſſe nos narratores, ſed rogatores, aliud enim eſt narrare ignoranti, aliud ſcientem petere.* Diuus etiam Auguſtinus talibus reſpondit, Oratione eſſe opus, etiam ſi nouerit Deus, *Quia ipſa*, inquit, *orationis intentio, cor noſtrum ſerenat & purgat, capaciuſque efficit ad excipienda Diuina munera, quæ ſpiritaliter nobis infunduntur, non enim ambitione precum nos exaudit Deus, qui ſemper eſt paratus, dare ſuam lucem nobis vitalem, ſed nos non ſemper parati ſumus accipere, cum inclinamur in alia, & rerum tempo-*

Hieron. in c. 6. Matth.

Aug. lib. 2. de Serm. Domin. c. 6.

ralium

ralium cupiditate tenebramur. In eandem ſententiam ita Diuus Chryſoſtomus: *Sic orandum eſt, non vt Deum doceas, ſed inflectas, vt familiaris efficiaris interpellationis frequentiâ, vt humilieris orando, vtq́; peccatorum tuorum ſæpè recorderis.* Idem Author Deum id voluiſſe aſſerit, vt nobis occaſionem daret *affectum inflammandi* erga ipſum, quia Amor petitione accenditur. His cauſis aliam adiungit Hilarius: *Humilitatis*, inquit, *noſtræ eſt deprecari, magnificentiæ Dei eſt orari, fidei eſt poſtulare, confeßionis & laudis eſt gratulari*. Rurſus Diuus Hieronymus in illud Hieremiæ: *Orabitis me, & ego exaudiam vos*. Docet, Deum orari velle, vt cum merito donet, & ipſe dignos nos facit ſuis donis, eſt autem *optabile cum dignitate obtinere quod poſtulas*. Deniq; Sanctus Baſilius ſcribit hoc fieri, nempè vt ſic homo agnoſcat Dei donum, & propriam indigentiam, pluriſque faciat rem donatam: Quæ enim petitione acquirimus diligentiùs conſeruamus.

Chryſoſ. Hom. 19. in Matth.

Hom. 30. in Geneſim.

Hilarius in 140. Pſal.

Hieron. Hierem. 29.

Baſil. de conſtit. Monaſtic.

Sic hac de re Veteres. Certè experientiâ etiam didicimus. Parentes ſæpenumero ſcire, quibus indigeant filij, antequam petant, ſed velle dona ſua, deſiderijs, precibuſque expeti. Quemadmodum Rex videt, & nouit, quid Aulico opus ſit, ſed vult illum, prius preces adhibere, quam munera accipiat.

Tertiò, Pelagiani, quibus gratia, minimè neceſſaria viſa eſt, orandi neceſſitatem, re ipsâ è medio ſuſtulêre. Orat Eccleſia pro infidelibus, & alijs peccatoribus, vt conuertantur, ſiue pro fidelibus vt perſeuerent, ſed ſenſu illorum, nunquid fruſtrà, ſi ad illa omnia ſufficiat noſtri arbitrij libera poteſtas?

Quid erit opus à Deo petere, quod nos ipſi conſequi poſſimus? Reſpondeo ab Auguſtino illuſtriſſimo Diuinæ gratiæ Aſſertore, hunc errorem, magno conatu, exploſum eſſe, vt videre eſt libro de Hæreſibus & Epiſtolâ 106. Concilium etiam Mileuitanum hoc decretum contra Pelagium dictauit: *Placuit, vt quicunq; verba ipſa Dominicæ orationis, vbi dicimus: Dimitte nobis debita*

Concil. Mileui. cap. 8.

noſtra,

noſtra, ita volunt à Sanctis dici, vt humiliter & non veraciter, hoc dicatur, anathema ſit. Erubeſcere debuiſſet Pelagius in re tam manifeſtâ quàm Scripturæ declarant: *Perfice*, inquit Dauid, *greſſus meos, in ſemitis tuis, vt non moueantur veſtigia mea*. Psal. 16.
Agnouit ipſe infirmitatem ſuam, & à Domino petijt auxilium. Hieremias etiam ita Hierem. 17.
Dominum orat: *Sana me Domine, & ſanabor, ſaluum me fac, & ſaluus ero*. Si ille ſeipſum ſanare poterat, vt quid illud à Deo petijt?

Quartò, Contra Orationis virtutem Alij hoſtes extitêre, Petrus Abailardus, & Ioannes Hus, qui docuerunt omnia neceſſitate abſolutâ fieri, ex quo corupto fonte, vitiatus hic riuulus ſcaturit: Superfluam & inanem eſſe orationem. Quia ſi omnia abſolutâ neceſſitate fiant, fruſtrà quis Deum orat, pro eâ re, quæ ſi futura eſt, etiamſi non oret, eueniet: & ſi futura non erat, etiamſi oret, nunquam eueniet. Reſpondeo ad hoc dogma conuellendum multis verbis opus non eſſe. Si

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
Digitized by Google

enim inutilis eſſet oratio, quomodo Chriſtus orare nos docuiſſet: *Pater noſter qui es in cœlis &c.* Et cur cum Dæmonium eieciſſet, quod Diſcipuli eius eijcere non potuerant, dixiſſet: *Hoc genus non eijcitur, niſi per orationem & ieiunium.*

Matth. 6.

Matth. 17.

Quintò, Non parùm detrahunt dignitati Orationis, Caluinus, Beza, & ſimiles, qui Deum omni libertate ſpoliant, in cunctis *Operibus ad extra*, quæ ad res creatas pertinent, ita vt neceſsitate in his ducatur, nec poſsit non facere, quæ facit, eo quod nunquam ſententiam mutet, & quod ſemel ſtatuit, ita fieri neceſſe ſit. Reſpondeo in operibus quæ diuinitatem non exeunt, & à Theologis *Opera ad intra* vocantur, naturalis quædam neceſsitas eſt, vt aliter eſſe non poſsint, ſola libertas complacentiæ in illis concipitur, verùm in *Operibus ad extra* Deus liber eſt, conſtruere & deſtruere poteſt, in ſua poteſtate habet eos, in periculis relinquere quos eripit, ſine ſui mutatione. Hinc Auguſtinus: *Opera mutat, non mu-*

tat conſilium. Exaudiuit Deus Moyſen, Hieremiam, Danielem, Mardochæum, & alios, pro populo deprecantes, nec paucos pro ſemetipſis, & alioqui fruſtrà quotidie fierent, ad ipſum orationes. Eleganter hac de re Caſsiodorus: *Precibus Sanctorum ſæpè*, inquit, *pœnas debita mortis euadimus, non quia valet aliquis, Domini mutare diſpoſita, ſed ita vt eueniunt, ab eo nouerit eſſe præſcita*. Et Gregorius ait: *Et ſi fuerunt, qui deprecationibus ſuis eius cogitationem auertiſſe videantur, ita fuit eius interna cogitatio, vt ſententiam eius auertere, deprecando potuiſſent, & ab eo accipere, quod agerent apud ipſum.*

Caſsiod. in Pſal. 24.

Greg. 16. moral. c. 18

Sextò, Eandem ſerram trahunt Pſeudo-Politici, qui omnia quæ Religionis ſunt, per modum interrogantium ſuauiludijs excipiunt. Quærunt itaque: Qua ratione pro eis orandum, quæ promiſit Deus, in quem non cadit obliuio? Reſpondeo, Deum nihilominus velle rogari, quia oratio ipſa, vnum eſt ex medijs per quæ decreuit promiſſa ad-

implere. Decreuerat Deus Pater Chriſto, vt homini, multa communicare, ſed mediâ
Ioan. 17 oratione, & inter alia orauit Filius: *Clarifica me Pater.* Intelligens tum reſurrectionem corporis, tum nominis exaltationem, & Eccleſię ędificationem, quam iubetur poſtulare:
Pſal. 2. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Potuit quidem Chriſtus aliter hominem redimere, quam per Paſſionem, & alio modo intrare in gloriam ſuam,
Lucæ vltimo. tamen *Sic oportebat Chriſtum pati, & ita intrare &c.* quia Deus ſic inſtituit: ita etiam orationem medium eſſe voluit. Deus itaque ab orante veluti de ſuo promiſſo ſoluendo, & fide liberandâ ac præſtandâ admonetur, & rectè, quia mediante oratione dare ſtatuit. Attende quæ fuerit Oratio Dauidis in Hi-
2. Reg. cap. 7. ſtoriâ Regum: *Nunc ergo Domine Deus verbum quod locutus es ſuper ſeruum tuum, & ſuper domum eius, ſuſcita in ſempiternum, & fac ſicut locutus es.* Pro-
Matth. vltimo. miſit Saluator: *Ecce ego vobiſcum ſum, vſque ad conſummationem ſæculi, & por-*

Digitized by Google

tæ inferi non prævalebunt aduerſus eam, Eccleſiam ſcilicet, & hæc promiſſio infallibilis. Cur adeò pro Eccleſiæ defenſione nos tangat orandi cura? Reſpondeo: Per portas inferi, ſignificari omnium Dæmonum, & aliorum hoſtium vires, & Metaphoram ductam à portis Vrbium, in quibus plures coaceruantur munitiones, ac robur Ciuium ad reſiſtendum conſiſtit, & vt glorioſior ſit verborum Chriſti ſententia, non tantùm indicatur, quod Eccleſia ſuâ mole conſtans, impetus hoſtium immobilis ſuſtineat, ſed inſuper quod ipſa irrumpat animosè, portas inferi aggrediatur, & quantumuis munitas ſolo æquet, vt nunquam præualere, id eſt, totâ Eccleſiâ, Superiores euadere in pugnâ poſſint, & in hoc bellico congreſſu, præter alia quæ adhibet inſtrumenta, etiam Orationibus, tanquam armis ſeſe tuetur, ac defendit, & glorioſè cum hoſte pugnat.

Digitized by Google

CAPVT IV.

Aliud genus argumentorum.

NOn ignorat antiquus hoſtis in feruidâ Oratione (vt theſauro) Dei miſericordiam contineri, agit proinde modis omnibus, vt ab orandi ſtudio homines auertat, & quos apertâ impietate non occupat per cuniculos ſpecie humilitatis, tædij, aut alio prætextu, ab oratione remouere conatur, plauſibilia proponens, quæ prima fronte etiam Catholicis & pijs viris fundata videantur.

Primò, Quia miſcellanea bonorum & malorum multitudo,ad Deum exorandum concurrit,exiſtimant quidam exiguum fructum expectandum, quia ſcriptum eſt: *Scimus quia peccatores Deus non audit*. Reſpondeo, Peccatores à Deo exaudiri in multis. Docet illud Baſilius ex Parabolâ: *Amen dico vobis, etſi non dabit illi ſurgens eo quod amicus eius ſit, propter improbita-*

Ioan.9.

Luca 11

tem

tem tamen eius ſurget, & dabit illi. Et Diuus Auguſtinus idem confirmat ex Parabola de Publicano peccatore petente remiſſionem, & obtinente: Oratio enim licet non ſemper meritoria ſit, imperatoria tamen eſt, nec ſolùm ſpiritualia, ſed etiam temporalia petentes, exaudiuntur peccatores. Nam Idololatrę illi petierunt liberari à Deo, & à tempeſtate illâ, & obtinuerunt. Prædicta in obiectione verba, cæci ſunt à natiuitate, quem Chriſtus miſit ad natatoriam Siloê, quique occaſione miraculi quod in ſe expertus fuerat, coram Phariſæis hoc modo reſpondit. Quibus declarat, (teſte Theophylacto,) Deũ non facere miracula per peccatores in confirmationem innocentię ipſorum, quia tunc falſitatis redderet teſtimonium.

Aug. lib. 2. contra Epiſt. parmen. cap. 8.

Ionæ 1.

Secundò, Exaggerant multi, innumera Catholicorum peccata, quæ reuerâ Hieremiæ & Dauidis lachrymis deploranda eſſent, quodque indies peccata peccatis hoc vlcerato ſæculo cumulentur. Reſpondeo idcircò nihil de feruore Orationis remitten-

dum, Deus enim propter gloriam ſuam, populum ſuum, quamuis meritum, ſubinde non punit, teſtatur ipſe ſe gloriæ ſuæ ita amantem, vt propter illam, peccata etiam atrociſsima punire differat, ne gloria ſiue potentiæ ſuæ opinio minuatur. Hanc ob cauſam, Iudæis victoria aliquando obtigit:
Iſa. 48. *Scio quia prauaricans prauaricaberis, & tranſgreſſorem ex vtero vocaui te, tamen propter nomen meum, longè faciam furorem meum, & laude meâ infrenabo te, ne intereas. Propter me, propter me faciam vt non blaſphemer, & gloriam meam alteri non dabo.* Atque ob hanc cauſam contigiſſe apparet, vt etiam illis, *qui iurabant in nomine Domini, ſed non in veritate, neque iuſtitia*, tantùm *quia vocarentur nomine Iſrael* (ſicut eodem Iſaiæ loco legimus) ſiue quia pro populo Domini haberentur, miraculoſas victorias tribuerit, quod alioquin gloriam ſuam, ad alienos Deos tranſlatum iri ſciret, quâ ex re, quoniam gloriam ſuam, non parum minui ne-

ceſſe erat, omnino ſibi præſtandum belli exitum iudicauit, & opem Iudæis tulit, ne fruſtrà in eo fiduciam habuiſſent, pœnâ, quam ſuis peccatis meruerant, in aliud tempus dilatâ: Sic corruerunt ex Ieroboam exercitu, quinquaginta millia. Et, *Vehementiſsimè confortati ſunt filij Iuda, eò quod ſperaſſent in Domino Deo Patrum ſuorum*. Eodem modo, Regi Ioſaphat, & populo eius, victoria diuinitus obtigit, non quia ipſi grauiſsimis peccatis, iram Dei non meruiſſent (velut de Rege legimus) ſed quia fecerant, vt bellum illud Dei eſſet, non ipſorum, hoc eſt, vt ab hoſte vinci non poſſent, niſi Dei gloria ſimul minueretur.

2. Para. 13.

2. Para. 19. & de populo 2. paral. 20.

Tertiò, Allegant alij orationem publicam, toties in orbem agi, & tamen petita non obtineri. Reſpondeo, non propterea flacceſcamus, deſperemus, aut curam Orationis abijciamus, ſed inſtemus, iterumque, iterumque pulſemus: *Multum enim valet deprecatio iuſti aſsidua*. Ita Dauid introducit Deum ſibi loquentem: *Expecta Domi-*

Iacob. 5.

Pſ. 26.

num, viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum. Hugo Cardinalis: Verbum *expecta*, fidem notat, *viriliter age*, charitatem, *confortetur cor tuum*, ſpem, *& ſuſtine Dominum*, patientiam. Præclarè etiam de ijſdem verbis Auguſtinus: *Parum erat ſemel ſuſtinere Dominum &c. Et ſi fortè maneret preſſura & tribulatio, ideò addidit, viriliter age, & confortetur cor tuum, & quia ab initio vſque ad finem ſic erit, quod habet ſententia in capite, hoc habet in fine.* Ad hæc Chryſologus: *Quicunque cum ſemel pulſauerit, indignatur, mox ſi non fuerit auditus, iſte non eſſet petitor ſupplex, ſed impetroſus exactor: Expecta Dominum &c.*

Aug. in Pſal. 39

Chryſol ſerm. 39

Quartò, Contriſtantur Idiotæ qui litteras non didicerunt, quaſi minus idonei eſſent ad orandum, cum ſimplici prece Deum interpellent, & tantum *Pater*, & *Aue* recitando, cogantur ingeminare. Talibus reſpondendum: In fundendis precibus, arte Oratoria, aut verborum lenocinijs, opus non

eſſe:

eſſe: Conſideremus Dauidem, quam planis verbis ex intimo cordis affectu, cum Deo agat: *Diligam te Domine virtus mea.* En affectum amoris. Et, *Domine Dominus noſter: quam admirabile eſt nomen tuum in vniuersâ terrâ?* En affectum admirationis. Hæc & ſimilia, accuratiſsimè docet Dauidicum Pſalterium, quod rerum omnium petendorum ſeminarium eſt.

Psa. 17.

Psal. 8.

Sanè eximiam fiduciam declarat ſimplex Oratio, quâ Deo præcisè exponimus noſtras neceſſitates, permittentes ipſius bonitati, potentiæ, & ſapientiæ, quid facto opus ſit, quemadmodum leproſus ille qui dicebat: *Domine ſi vis potes me mundare.* Et Sorores Lazari: *Ecce quē amas infirmatur. Sufficit enim*, ait Auguſtinus, *quaſi dicerent, vt noueris, non enim amas & deſeris.* De Oratione verò Dominicâ ita veteres locuti ſunt, Tertullianus: *Chriſtus Dominus noſter*, inquit, *nouis Diſcipulis, noui teſtamenti, nouam Orationis formam, determinauit, & paulò poſt: Neque enim pro-*

Matth. 8.

Ioan. 11

Aug. Tract. 49. in Ioan.

pria

Digitized by Google

Libro de Oratio. c. 1.

pria tantum Orationis officia, complexa eſt, venerationem Dei, aut hominis petitionem, ſed omnem penè ſermonem Domini, omnem commemorationem diſciplinæ, vt reuerà in Oratione, breuiarium totius Euangelij comprehendatur. Nec aliud ſentit Cyprianus, in Expoſitione Orationis Dominicæ: *Qualia ſunt, fratres dilectiſſimi, Orationis Dominicæ Sacramenta, quàm multa, quàm magna breuiter in ſermone collecta, ſed in virtute ſpiritaliter copioſa, vt nihil omnino prætermiſſum ſit, quod non in precibus atque orationibus noſtris, cæleſtis Doctrinæ compendio comprehendatur.* Ex his diſce, quanti Oratio Dominica facienda ſit, quæ animata ſuo priuilegio in cœlum aſcendit, vt Tertulliani verbis vtar, quæque fundamenti loco, in ijs quæ petenda ſunt, nobis eſſe debet: *Præmiſſa legittima, & ordinaria Oratione, quaſi fundamento*, ait idem Author, *accidentium ius eſt deſideriorum, ius eſt perſtruendi extrinſecus petitiones.*

Cypria de Oratio. Dominica.

Libro de Oratione c. 9.

Quin-

Quintò, Quæruntur alij, ſe nimium aridos, & ad orandum ineptos. Reſpondeo: hæc ſiccitas & ariditas in Oratione, ſubinde Dei punitio eſt, qui proinde pro deuotione ſpiritus, inſtanter exorandus, & medijs alijs ab illo præſcriptis placandus eſt. Interdum verò Dei beneficium eſt Si Deo ſeruis, ex animo & Orationi vacas, aret tamen in Oratione animus, & nullo cœleſti rore humectatur, id efficere vult bonus Pater, vt patientiam & humilitatem compares, & Deo propter ſeipſum ſeruire aſſueſcas. Sæpè iuſti, ita eorum poſcente ſalute tentationibus anguntur, & amiſsâ Oratione areſcunt, ac torpent, & quaſi Diuinis præſidijs deſtituti, videntur, non tamen deficiant, nec animum deſpondeant, non frangantur, etiamſi recedere viſus ſit, non tamen abijt. Ipſe ait: *Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum &c.* Pſal. 90
Cum terrâ obducitur ſemen virtutes illius altiores radices iaciunt. Prodeſt ſæpè ariditas, Cognoſcunt homines qui ſint, quantum, Deo egeant, quam ſine ipſo pauperes

& miſeri. Anima quæ magnos habet in virtute progreſſus, mirum in modum, iuuatur ariditate, & ſiti cœli, quo minus ſentit ſibi dari præſentium, tanto ad ſperanda cœleſtia confirmatur.

Sextò, Reperiuntur adeò deditì Orationi mentali, vt vocalem negligant. Reſpondeo Prophetam Oſee, vbi verè pœnitentis formam, deſcribit iubere, vt adferantur verba quæ vocales preces ſunt, & delictorum confeſſio: *Tollite vobiſcum verba*, inquit, *& conuertimini ad Dominum*, *& dicite ei*, *Omnem aufer iniquitatem*, *& reddemus vitulos labiorum noſtrorum*, Vituli labiorum, teſte Hieronymo, laudes in Deum ſunt, & gratiarum actio, *Sacrificium enim Dei ſpiritus contribulatus*. Diuus Thomas Prophetam de ſatisfactione, loqui aſſerit, & ex hoc loco, docet maximè conuenire, vt Oratio (quatenus ſatisfactoria) ſit vocalis. Verum cauendum, ne pelles tantum vitulorum reddamus; verba, inquam, & voces, non enim inanem vocum ſonum quærit Deus:

Oſee c. 14.

2. 2. q. 83. art. 12.

Hanc

Hanc ob cauſam docti, Iunipero ſimilem dixerunt Orationem, quæ baccas fert, non flores, ne verborum potius habeas rationem quam operum.

CAPVT V.

De Rebus quæ in publicis Conuentibus ad Orandum inſtitutis à Deo petuntur.

CONfutatis breuiter Hæreticorum ſententijs, & labefactatis aliorum circa ſtudium orandi opinionibus, in promptu nunc eſt de ijs agere, quę à Deo poſtulantur, non dico in precibus illis, quas horas Canonicas vocant, & per totum Anni decurſum ſolenni cantu celebrantur, verùm de conditionibus, quæ in Iubilæis, Plenarijs Indulgentijs, & Diplomatibus pro ſalutari regimine Eccleſiæ præſcribuntur, & denunciantur. De quibus vt ordine dicamus, viam nobis parat Pauli locus, vbi ſic ait: *Quid oremus ſicut oportet, neſcimus; ſed ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabili-* *Ad Roman. 8.*

bus. Quibus verbis inſinuat Spiritum Sanctum, noſtram imbecillitatem adiuuare, cum nos ad precandum excitat, atque inflammat. *Neſcimus*, inquit Auguſtinus, *quid oremus, tum quod futurum ſperamus, & quò tendimus, necdum nobis apparet, tum maximè quia in præſente vitâ, poſſunt multa nobis videri proſpera, quæ ſunt aduerſa, & aduerſa, quæ ſunt nobis proſpera.* Alibi verò: *Adhuc eſt fortaſſe quod quæras, cur Apoſtolus dixerit: Quid enim oremus ſicut oportet, neſcimus, neque enim vllo modo credendum eſt, vel ipſum, vel quibus iſta dicebat: Dominicam neſcîſſe Orationem: Cur ergo putamus hoc ipſum dixiſſe, quod nec temerè potuit, nec mendaciter dicere? niſi quia moleſtiæ, tribulationeſq; temporales, plerumque proſunt, vel ad ſanandum tumorem ſuperbiæ, vel ad probandam, exercendamque patientiam, cui probatæ & exercitatæ, clarior merces, vberiorque ſeruatur, vel ad flagella & abolenda quæcunque peccata,*

De quibuſdam propoſitionibus Epiſt. ad Roman.

Epiſt. 121.

nos

nos tamen neſcientes, quid iſta proſint, ab omni tribulatione oramus, & optamus liberari. Hæc Auguſtinus. Et profectò ex hoc, maximè intelligimus Spiritum Sanctum, noſtræ imbecillitati opitulari, quia vt explicat Cryſoſtomus, in ijs quæ cuiuis peruia, & facilia videntur qualis eſt Oratio, ſuum auxilium non negat: vel vt ait Theodoretus: Quia ita preces noſtras inſtituit, vt vim& robur, ad mala toleranda petamus, Quanquam vniuerſum orandi rationem, ignorare nemo poteſt, multis tamen modis labi, atq; errare poſſumus, ſiue cupiditate inflammati, ſiue errore deluſi, ſiue denique plurimarum rerum obſcuritate præpediti. Quocirca rectè dixit Auguſtinus: *Tum maximè votis noſtris, annuere Deum, cum quæ mala petimus, non impetramus*. De ijs verò quæ per ſe, ſunt expetenda, vt eſt gratia, & gloria, aliter ſentiendum eſt. Chryſoſtomus denique verba Apoſtoli: *Quid oramus ſicut oportet &c*. ſic explicat, vt inſinuet, nos ignorare, quid, quo tempore,

Auguſ. tract. 6. in Ioan.

quo loco, quoue animi propoſito, ſeu conſilio aliquid, à Deo petendum ſit. Cuius expoſitioni attexi poteſt, quod cum in Oratione priuata, quæ pro cuiuſque arbitratu fit, tam facilis ſit lapſus, præter internam opem Spiritus Sancti, in publicis Eccleſiæ precibus, externo etiam & incentore, & directore nos maximè indigere. Quocirca pro officij ſui ratione Summus Pontifex in Eccleſiæ, cui præeſt, ſubleuamen, fideles ad orandum excitat. Quemadmodum Ionam qui dormiebat ſopore graui excitauit Gubernator ſine proreta, dicens: *Surge, inuoca Deum tuum, ſi fortè recogitet Deus de nobis, & non pereamus.* Ita Gubernatorum Eccleſiæ eſt, dormientes excitare, vt ſurgant, & inuocent Deum ſuum, non hos aut illos, ſed omnino omnes. In periculis enim nullius oratio contemnenda eſt, etiamſi ſit hominis, qui contemnendus videatur, nam vt ſæpè ſub ſordido pallio (vt aiunt) latet ſapientia, ita & pietas, ac deuotio, & multorum coniunctæ preces multum apud Deum valent.

Iona 1.

lent. Quod verò addit: *ſi fortè recogitet Deus de nobis*, digna Gubernatore vox eſt, quæ docet nunquam in laboribus, & in ira Dei deſperandum, ſed cogitandum eum, nolle mortem peccatoris, mederi velle, non perdere, minari, non damnare, pœnitentiâ & precibus ſupplicibus, aduerſus eius iram, minaſque pugnandum. Nec tantum ſummi Eccleſiæ Moderatores excitant, vt diximus, verumetiam ea præſcribunt, quæ pro ratione temporum à Deo expetenda ſunt.

CAPVT VI.

De Oratione pro Exaltatione Eccleſiæ.

PRima itaq; conditio eſt, tam in Iubilęis, Plenarijs Indulgentijs, vt oretur pro exaltatione Sanctæ Matris Eccleſiæ. Hæc conditio magni momenti cenſeri debet, & à nobis ſeriò ponderari, ſi modo, vt par eſt, filialem erga matrem noſtram, geramus affectum. Porrò quia paucis verbis multa comprehenduntur, paulò fuſius de hac exal-

Digitized by Google

tatione diſſerendum eſt, & explicandum, quid ambitu ſuo, exaltatio hæc, complectatur. Eccleſia parua initia habuit, & per annos trecentos oppugnata eſt, & ob id à Principibus, qui ſecundum carnem ſapiebat, deſpecta, nulla tamen vi, conuelli potuit, ſed aduerſus omnes impiorum ictus, inuicta perſtitit, Deus enim manu ſua illam ſuſtentat, ideoque in tuto eſt, & hanc ſecuritatem inſinuat illa vox Eccleſiæ: *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea: etenim non potuerunt mihi. Expugnauerunt* pro impugnauerunt, *à iuuentute* id eſt à pueritia, à primis initijs & incunabilis meis, oppugnauerunt me hoſtes mei & tamen non præualuerunt. Rogabis cur terreni Principes prius, eam fuerint perſecuti? Reſpondeo: ex mente Chryſoſtomi contra Iudæos, Ne quis exiſtimaret, Regibus terræ tribuendam eſſe Eccleſiæ ſtabilitatem, idcirco cum eſſet imbecilla adhuc ab ijſdem illam oppugnari permiſit Deus, vt ſcirent poſteri etiam quod nunc in tuto eſt ad potentiam Dei maximè

Pſal. 128.

referen-

referendum eſſe. Poſt grauem illam perſecutionem occaſione Stephani motam, pacem Eccleſia cognouit ſub Tyberio, qui perſecutionem prohibuit, agebatur autem (cum pax illa erat) annus Chriſti trigeſimus nonus, quo etiam anno mortuus eſt Tyberius, cui fructum pacis deferre videtur Tertullianus his verbis: *Tyberius ergo, cuius tempore nomen Chriſtianum in ſæculum introiuit, annuntiatum ſibi ex Syria Palæſtina, quod illic veritatem illius diuinitatis reuelauerat, detulit ad Senatum, cum prærogatiua ſuffragij ſui, Senatus, quia non in ſe probauerat, reſpuit, Cæſar in ſententiâ manſit comminatus periculum, accuſatoribus Chriſtianorum.* Euſebius, id recitat in vltimo Tyberij anno, Poſt hunc Imperatorem, iterum perſecutio vſque ad Conſtantinum. Tacitus Author eſt, itemque Suetonius, Neronem ex Cæſaribus, primum in Chriſtianos gladium diſtrinxiſſe. Quam ferox illud ingenium, quod nec clariſſimis Ciuium, nec Conſanguineis, nec

Apolog. cap. 5.

Præceptori, nec denique Matri pepercit. Tandem poſt multa Chriſtianorum millia interempta, Conſtantinus, & alij ad liberandam Eccleſiam, diuino Spiritu acti, conſpirarunt, perſecutiones omnes, imperio, legibus, armiſque ſuis, de medio ſuſtulerunt. Vnde Diuus Ambroſius pulchrè examinat: Quare è duobus Crucis clauis, quos Helena Mater, ſibi miſerat, alterum equi freno, alterum verò Diademati inſeruerit, & reſpondet vt ſequitur: *Miſit filio ſuo Conſtantino Diadema gemmis inſignitum, quas pretioſior ferro innexas crucis Redemptionis Diuinæ gemma connecteret. Miſit & frenum, vtroque vſus eſt Conſtantinus, & fidem transmiſit ad poſteros Reges. Principum itaq; credentium Imperatorum, ſanctum eſt quòd ſuper frenum: ex illo fides vt perſecutio ceſſaret, deuotio ſuccederet.* Alternant perſecutio, & pax in Eccleſia, ne ſi illa diutius duraret, Iudæi negarent ſpatium ſibi fuiſſe, de noſtra fide deliberandi, ſi hæc ſemper eſſet, patientiæ, & tot aliarum ſeges

In oratione de obitu Theodoſij.

virtu-

virtutum deeſſet, magiſque ſecundis rebus, moueri viderentur, qui ſe ad Eccleſiam adiungerent, quam vi ſolidæ virtutis. *Poſt tempeſtatem tranquillum facit, & poſt lachrymationem, & fletum exultationem infundit. Fidelis Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione prouentum. Non relinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum, vt non extendant iuſti ad iniquitatem manus ſuas.* *Tobiæ 3.* *1. Cor. 10.* *Pſ. 124.*

Primò itaque exaltatur Eccleſia, ferendo: ita eleganter Richardus de ſeptem candelabris: *Sicut aurum*, inquit, *per ignem probatur, malleis extenditur, & in formam candelabri productum efficitur inſtrumentum ignis & luminis, ita Eccleſia tentationibus probata, & tunſionibus perſecutionum extenuata, ardent igne ſapientiæ cæleſtis.* Ex quibus verbis animaduerte, Eccleſiæ candelabrum, non eſſe fuſile, ſed ductile, vt etiam Diuus Gregorius tacitè innuit: *Eccleſia, inquit, ferendo producitur,* *Apocal. 1.* *Homil. 6. in Ezechielem.*

& quotidie perſecutionibus proficit. Ita etiam habet Eccleſiæ Hymnus: *Tunſionibus preſſuris expoliti lapides, ſuis coaptantur locis, per manus artificis*. Vt videlicet de viuis, & electis lapidibus Eccleſiæ ædificium perficiatur, *& ædificentur muri Hieruſalem*. Pſa. 50.

Secundò, Amplificatur pia ſollicitudine, Summorum Pontificum, è quorum numero (alijs breuitatis cauſa præteritis,) recenſeo Silueſtrum, quo Eccleſiam regente, duo habita ſunt Concilia, Nicenum, 318. Epiſc. in quo Arius eiuſque Sectatores condemnati ſunt, & Romanum, in quo iterum Arij hæreſis exploſa eſt. Summa etiam cum laude, Damaſus, Eunomij, & Macedonij hæreſim extinxit. Leo Primus ad Eccleſiam à fecibus Neſtorianorum, & Eutychianorum purgandam totum ſe contulit. Gregorius Magnus, Donatiſtas in Africa, Arianos in Hiſpania repreſſit, miſſis in Britanniam doctis & Sanctis Viris, Auguſtino, & alijs Monachis, Inſulam ad Ieſu Chriſti fidem con-

uertit,

uertit. Leo Secundus, Sergij & Pyrrhi errores, exterminauit. Et paucis ab hinc menſibus elapſis, Gregorius Decimus quintus pro fide propaganda, Collegium Cardinalium Romæ inſtituit, qua re nihil orbi, felicius accidere potuit.

Tertiò, Dilatatur omnium gentium concurſu in illam, ad huius dilatationis expreſſionem, ac multitudinis gentium, quam ſuo ambitu complexura erat, Dauid exaggerans vaticinatur: *Ecce*, inquit, *alienigenæ & Tyrus & populus Æthiopum, hi fuerunt illic. Nunquid Sion dicet, Homo & homo natus in ea.* Quibus verbis, ſignificat futuras in Eccleſia gentes omnis generis, etiam infeſtiſſimas antea, quales alienigenæ, & Philiſtæi, & Ægyptij, etiam barbariſſimas, quales Æthiopes. Quis diceret vnquam Sioni, quæ ſemper abominata eſt, gentium illam colluuiem, fore vt in ea naſceretur homo & homo? Hebraiſmus eſt, homines indiſcriminatim boni, mali, ſapientes, barbari, amici, inimici. Et ſignificatur nemi- *Pſa. 89.*

nem id affirmare potuiſſe. De Sione materiali, at de ſpirituali, id eſt, Eccleſiâ veriſſimum eſſe, & quotidie videri, vt omnes illi ſine diſcrimine Ciues eius ſint: non quaſi ex beneficio ciuitate donati, ſed nati ſunt per lauacrum, ſcilicet regenerationis. *Homo & homo natus eſt in ea.* Hac de re, ſibi gratulatur Eccleſia in Paraſceue, *Omnipotens ſempiterne Deus, qui Eccleſiam tuam noua ſemper prole fœcundas, auge fidem, & intellectum Catechumenis noſtris, vt renati fonte baptiſmatis adoptionis tuæ filijs aggregentur.*

Quartò, Proficit Eccleſia probitate vitæ Prælatorum, & maiorum, qui tenentur extare ſupra alios, vitæ exemplo, author operis imperfecti apud Chryſoſtomum notat, Chriſtum his verbis vſum: *Non poteſt Ciuitas abſcondi ſupra montem poſita*, vt Diſcipulos ſollicitos redderet, ad exactam vitæ rationem proſequendam, maximè quod omnium oculos cenſores haberent illius perfectionis, ad omnes, qui in Eccleſia,

Matth. 5.

emi-

eminent, Queribundus, ait Tertullianus: *Quid nos, inquit, Dominus Ciuitati ſupra montem conſtitutæ comparauit, ſi non extamus inter demerſos?* Quaſi dicat: priuatos homines, in Eccleſia, iacere demerſos, nullâ vel morum, vel ſapientiæ laude conſpicuos, tolerabile fuerit, at Prælatos nihilo demerſis ſuperiores, ac illuſtriores eminere, quomodo fieri poteſt, cum id diſcriminis eſſe debeat, inter homines priuatos & publicos, quot inter montes & valles? Eſt ergo præciſa obligatio primatum Eccleſiæ, vt ſicut manipulus Ioſeph, inter proſtratos reliquorum fratrum manipulos ſtabat eminentior, ita ipſi extent inter plebeos & ſæculares. Multum certè de authoritate religionis detrahitur, cum primates in Eccleſia peccant. Contra verò ſanctificant Deum benè viuentes, vel vnus Moyſes teſtari poteſt, quem Deus ſibi ita chariſſimum habuit, cum quo loquebatur facie, ad faciem, vt amicus ad amicum ſolet, in quem tamen tam ſeuerè animaduertit, & poſt tot emen-

Tertul. libro de cultu fœminarum.

ſas ſolitudinis ambages, tot exhauſtas peſsimæ gentis ingratitudines, ab ipſo aditu terræ promiſſæ, durè admodum prohibuit, imò in ipsâ quaſi vltionis vehementiâ, ſibi complacens monſtrauit terram, ac velut inſultans addidit inſuper: *Vidiſti illam oculis tuis, & non tranſibis ad illam*, Et, *Non enim intrabit terram, quam dedi filijs Iſrael*. Imò cum petijſſet à Domino, vt ſineret ſe in terram promiſsionis introire, repulſam paſſum affirmat: *Iratuſq; eſt mihi Dominus*, inquit, *propter vos, nec exaudiuit me, ſed dixit mihi: Sufficit tibi, nequaquam vltra loquaris de hac re ad me*. Expedita autem cauſa traditur: quod in deſerto Sin incredulum ſe prębuerit in educendâ aquâ de petrâ, & ideo eo modo mulctatum fuiſſe Moyſen, aſſerit Chryſoſtomus: Quoniam eius, inquit, incredulitas multorum jactura fuit, videlicet quia excuſare poterant incredulitates ſuas, & ideo dixit: *Quia non credidiſtis mihi, vt ſanctificaretis me coram filijs Iſrael*, id eſt, vt authoritatis meæ

Deut. 34. *Num. 20.* *Deut. 3.* *Hom. 3. in c. 1. Actorum.*

cul-

cultus per veſtram fidem, apud populum rata eſſet, & rectè agendo, ac fidem præſtando, cęteris eſſetis exemplo Pij quaſi ſanctificant Deum, & pretioſam faciunt eius Religionem, quæ tam præclaros habet ſanctitate viros, cum tali euentu, multi excitantur ad ſimilem ſanctitatem.

Quintò, Creſcit & proficit Eccleſia, meritis bonorum operum, etiam in promiſcuâ plebe, pro quo profectu, ipſa ita Deum interpellat his verbis: *Da nobis, quæſumus Domine, perſeuerantem in tua voluntate famulatum, vt in diebus noſtris, & merito, & numero populus tibi ſeruiens, augeatur*. Nemo ſibi blandiatur, aut in nomine Chriſtiani, & Catholici glorietur, & opera negligat. Maledixit Chriſtus ficûi: *Nunquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum*, cum eſuriens in itinere, fructum in ficulneâ non inueniret, & tamen notat Marcus quaſi arborem excuſans: *Non enim erat tempus ficorum*. Factum itaque Chriſti, ita interpretatur Hieronymus: vt

Feria 2. poſt Domin. paſſionis.

Matth. 21. Marc. c. 11.

inſinuet Chriſtum, homines in illa ficu quæſiuiſſe; & iure optimo indignatum, contra ſpirituales ficus,id eſt homines,quod fructum bonorum operum non haberent. Hoc enim inter arbores, homineſque differt, quod arbores naturâ ſuâ non niſi certo tempore, fructum ferre debent, homines verò toto vitæ ſuę tempore benè facere, Tota enim vita noſtra æſtas eſt, tota debet eſſe frugifera, nec quidquam nos, niſi voluntas ſteriles facit.

Sextò,& *vltimò*,Humilitate incrementum accipit, de quâ Beda in illa verba: *Nolite timere puſillus grex. Eccleſiam ſuam*, inquit, *quantâlibet numeroſitate iam dilatâ, tamen ad finem mundi humilitate vult creſcere, & ad promiſſum regnum humilitate peruenire*. Non immeritò igitur inculcatur, vt pro Eccleſiâ exaltandâ ſolliciti ſint fideles, cuius amplificatio ſuperius delineata, tanti coram Deo momenti cenſeatur.

Beda l. 4. c. 54. in c. 12. Lucæ.

CAPVT VII.

De Oratione, pro Extirpatione Hæreſeon.

HÆc ſummis Eccleſiæ Paſtoribus digna ſollicitudo, vt preces fundi curent, pro hæreſi extirpandâ, hæreticorum enim falſa doctrina, magis officit hominum ſaluti, quam quælibet res alia, tum quia ſub ſpecioſo Euangelij nomine proponitur, tum quod præſentis vitæ commodis, & carnis voluptatibus accommodata deſeruiat; Plebs autem ſpiritualium rerum multis in locis ignara, in Religione ſine Religione viuens, viam latam ac planam quærit, ſenſum non rationem ſequitur, & ſi quis doceat placita, ſenſibuſque & carni iucunda, ad hunc ſicut vrſus ad mel fertur, hunc quaſi Deum adorat. Si memoriam antiquorum temporum renouemus, plures ad orcum demiſit vna hæreſis Ariana, quam decem Nerones. Si verò de hæreſibus, noſtri temporis loqua-

mur,quę vitam æternam,tam audacter pollicentur, plus damni Chriſtianiſmo intulerunt, quam viginti Traiani, aut centum Diocletiani, quantumuis cruenti, ſæuique perſecutores. Non tam pernicioſa eſt Reipublicæ perſecutio, quam hæreſis. *Perſecutio namque* (vt Tertullianus obſeruauit) *Martyres fecit, hæreſis Apoſtatas, atque plus nocuerunt illorum toga, quam horum galea.* Eleganter Diuus Petrus, hæreſes *ſectas perditionis* appellat. Vatablus vertit: *pernicioſas*, aut *perditas & exitiales*, quæ Authoribus, & ſectatoribus, ſempiternum interitum adferunt, & damnationem, ſi de temporali interitu fiat ſermo, omnis Hiſtoria, & recens experimentum teſtatur, quam perniciem & labem Regnis & Prouincijs hæreſes attulêre. Sympathia profectò inter Chriſtianos eſſe deberet, qualis cernitur inter corporis humani membra, & proximorum ſub iugo hæreticorum degentium aduerſis, vt proprijs tangi deberemus. *Si patitur* (ait Apoſtolus) *vnum membrum, compatiun-*

Libro de Pallio.

Petrus 1. epiſt. c. 2.

Apoſt. ad Rom 12. Auguſt. l. 30 Homil. 15.

patiuntur cætera membra. Quem locum explicans Auguſtinus, ita ſcribit: *Spinam calcat pes, oculus loco remotiſsimus proximus efficitur charitatis affectu, illuc conuertuntur omnia membra, ſpina dorci incuruat ſe, oculi quærunt, manus operantur, cor dolet, lingua conqueritur, nihil vacat in homine ad ſubueniendum*. At quantum ea in parte peccatur! Sunt qui rebus proximorum macreſcunt opimis, ſunt qui periclitante Chriſti Eccleſiâ, voluptatibus indulgent, *Nec compatiuntur ſuper contritione Ioſeph*. Nonne vehementer dolendum eſt, tot florentiſſimas quondam Eccleſias, tantis Apoſtolorum laboribus fundatas, tamque copioſo Martyrum ſanguine rigatas, à Turcis poſsideri & deuaſtari? Tot Chriſto animas conſecratas, ſpurciſſimis Alchorani fæcibus inquinari? Occupant illi Ampliſſimas Aſiæ Regiones, & Prouincias ad Orientem ſitas, in quibus Pontus, vnde prodijt Aquila veteris Teſtamenti Interpres: Poſsident Cappadociam,

Amos 6.

in qua, quondam Baſilius Magnus, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyſſenus, Eccleſiæ lumina, claruêre. Tenent Aſiam, id eſt, totum illum terrarum & inſularum tractum, qui eſt circa Epheſum, videlicet Troiaden, Phrygiam, Cariam, Lyciam, Ioniam, ſeptem denique illas celebres, quas Ioannes in Apocalypſi deſcribit Eccleſias. Inuaſerunt Bithyniam Aſiæ quoque Prouinciam, in qua fuit Nicæa primo (poſt Apoſtolicum de quo in actis) vniuerſali, Sanctiſſimoque Concilio clariſſima. Atque hi fructus ſunt Hæreſeon, & Sciſmatum præcedentium, Orientis exemplo, timeat Occidens.

Obijciunt multi, hæreticos plurimis in locis tam iniuſtos rerum, quas tenent, eſſe poſſeſſores, tantamque ab illis Chriſti Eccleſiæ iniuriam irrogari, proinde mirum videri ſi pro talibus tam ſollicitè oretur. Fateor quidem, tali caſu ijs dici poſſe, quod Donatiſtis reſpondit Auguſtinus: *Falsò res veſtras appellatis, quas nec iuſtè poſſidetis, & ſecundum leges Regum terrenorum*

Auguſt. epiſt. 48 ad Vincentium

amit-

amittere iuſſi eſtis, & Deus ipſe ſic affirmat: *Hæc dicit Dominus, Nunquid non filij ſunt Iſrael? aut hæres non eſt ei? Cur igitur hæreditate poſſidebit Melchom Gad* (terram illam quam Tribus Gad occupauerat) *& populus eius* (Melchom) *in vrbibus Gad habitauit?* Quaſi dicat: Iniquiſſimum eſt, cum adhuc ſuperſunt Iſraelitæ de Tribu Gad, qui terram iſtam optimo titulo occuparunt, eam ab Ammonitis (falſam Religionem colentibus) teneri. Nam falſę Religionis defenſio, aut propagatio nequaquam iuſtus eſt titulus, Sunt ergo Ammonitæ malæ fidei poſſeſſores. Eodem modo ſentiendum de hæreticis, qui multa nullo iuſto titulo poſſident. Porrò actum agerem, ſi de iniuriâ quâ Eccleſiam afficiunt, aliqua huc in medium adferrem, verumtamen nihil ſatis eſt, quo reuocemur ab oratione pro eis fundendâ, An non fieri poteſt, vt qui hodie blaſphemauerit nomen Domini, cras illud amplectatur? Reſpice Paulum: *Qui prius*, inquit, *fui perſecutor, blaſphemus,*

Hierem. 49.

1. Timoth. 1.

mus, & contumelioſus, nunc miſericordiam Dei conſecutus ſum. Et Auguſtinus: *Si Stephanus non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet.* Reſpice Auguſtinum ipſum prius Manichæum, quot lachrymas & orationes pro eo Sanctiſſima Mater Monica fudit? Hæc ei ſecuritas data eſt, quod non poſſet ei malè ſuccedere, qui filius eſſet tot lachrymarum. Orauit igitur Monica, & filium Eccleſię reſtituit. Contingit multos, in bonam tandem inſeri Oliuam, ex oleaſtro aſſumptos, reſciſſis interim naturalibus ramis. Facem in tali genere precum pro Hæreticis & Sciſmaticis, præfert Eccleſia, dum orat in Paraſceue: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui ſaluas omnes, & neminem vis perire, reſpice ad animas diabolica fraude deceptas, vt omni hæreticâ prauitate depoſitâ errantium corda reſipiſcant, & ad veritatis tuæ redeant vnitatem.* Neque prætermittendum eſt, quod Sancti Patres hanc ſententiam conſcripsêre, docuêruntque tam latè ſe diffundere Catholicorum

preces,

preces, vt neminem à communi oratione excludant. *Nos*, inquit Auguſtinus, *qui neſcimus quiſnam ſit filius pacis, aut non ſit, quiſnam pertineat ad prædeſtinatorum numerum, quis non pertineat, pertinet nullum exceptum facere, nullumq; diſcernere, ſed velle omnes ſaluos fieri*. Præſtò eſt teſtimonium Leonis ita ſcribentis: *Eccleſiaſticum ſanè, ac diuinitus inſtitutum, non ſolum non inhibemus, ſed etiam incitamus affectum: vt etiam pro talibus nobiſcum Domino ſupplicetis, quoniam & nos deceptarum animarum ruinas cum fletu & mœrore miſeramur, exequentes Apoſtolicæ pietatis exemplum, vt cum infirmantibus infirmemur, & cum flentibus defleamus.*

Aug. l. 1. de Ciuitate Dei, c. 24.

Leo Sermo 4. in Epiphania.

Nunc de quibuſdam loquendi modis, inter orandum à Catholicis vſurpatis, qui vindictam, aut perturbati animi motum, præſeferre videntur. Offendit quoſdam talis precandi formula, quâ Eccleſiæ Catholicorum publicis in precibus, vti conſueuerunt: *Vt*

ſiant tanquam puluis ante faciem venti, & Angelus Domini perſequatur eos. Quibus reſpondendum, quod docuit Auguſtinus, imprecationes videlicet quas Prophetæ in inimicos proferunt, vt eſt hoc Pſalmi: *Fiat menſa coram ipſis in laqueum.* Non maledictiones, ſed prædictiones eſſe. Et Gregorius Nyſſenus, Quia nonnulli id Pſaltis malè interpretantur: *Deficiant peccatores, & iniqui vt non ſint.* Et Oſeam petentem: *Da eis vuluam ſine liberis, & vbera arentia.* Hieremiam etiam quaſi vindictam expetentem, Reſpondet: Spectâſſe eos ad correctionem vitioſitatis, atque malitiæ, quæ tunc in naturâ vigebat. Vt malum ergo deficiat, orant; non vt homo cum is malus non ſit naturâ, omninò annihiletur. Cæterùm ait Auguſtinus: *Quid aliud pro inimicis orandum eſt, niſi hoc quod ait Apoſtolus, vt det illis pœnitentiam, & reſipiſcant à laqueis Diaboli, à quo captiui tenentur.* Idem habet: *Non eis iraſcamur, ſed pro eis oremus, vt det eis Dominus*

Auguſt. Sermo 56. de tempore.

Pſa. 68.

Nyſſ. libro de Oratione.

Pſal. 6.

Oſeas c. 9.

Hierem. c. 10.

Auguſt. Sermo 59. de tempore.

Auguſt. Sermo 51. de verbis Domini.

intel-

intellectum. Cyprianus etiam ad Cornelium Papam, pro hæreticis orandum monet, *vt malint pro ſe orationem fieri Antiſtitis, quam ſanguinem fundi Sacerdotis*. Cœleſtinus quoque Eccleſiæ conſuetudinem recenſet de fundendâ pro Hæreticis & Sciſmaticis oratione.

Cypr. ad Cornel. Papam.

Cœleſt. epiſt. 1. c. 1.

Quæres quo fructu, pro Hæreticis oretur? Reſpondet Leo: *Merito*, inquit, *inimicos diligi, & pro perſecutoribus ſuis præcepit ſupplicari, qui ex omnibus quotidie Gentibus fractis oliuæ ſuæ ramis, germen inſerens oleaſtri, de inimicis reconciliatos, de alienis adoptiuos, de impijs facit iuſtos, vt omne genu flectatur, Cœleſtium, Terreſtrium, & Infernorum, & omnis lingua &c.* Quantum olim etiam valuerint Chriſtianorum preces, pro ſuis perſecutoribus, fusè teſtatur Iuſtinus Martyr, qui recenſet Marci Imperatoris Epiſtolam ad Senatum Romanum, qui vetabat Chriſtianos ſupplicijs inquiri, quod hi, cum à non gentis ſeptuaginta quinque millibus Barbarorum,

Leo Sermo 1. de ieiunio decimi menſis.

ipſe pœnè opprimeretur, & exercitus eius iam à quinque diebus aquâ caruiſſet, precibus tamen ſuis à Deo ſuo fecerunt, vt in ſuos frigidiſſimus imber deſcenderet, in hoſtes verò grando mixta fulminibus præcipitanter ferretur. Hæc Iuſtinus & Zonaras. Præterea ferocem aliquando hæreticorum animum emollire ſolet, cum videant à Catholicis tam ſerias fieri preces. Crudelem etiam Iuliani Apoſtatæ animum, Chriſtiani olim ſuperarunt, cum Milites ipſius ægrotos exciperent, & eorum tam diu curam gererent, donec conualeſcerent. Vt legitur apud Euſebium, hinc nimirum factum eſt, vt & ſuis ipſe litteris, idem ab Ethnicis fieri mandaret.

Iuſtinus & zonaras tom. 1. Annalium.

Hiſt. Eccleſ. l. 9. c. 8.

CAPVT VIII.

De Oratione, pro Concordia Chriſtianorum Principum.

NOta eſt orandi forma, hac in parte, quâ in Litanijs vtitur Eccleſia, his verbis: *Vt Regibus, & Principibus Chriſtia-*

nis pacem & veram concordiam donare digneris. Nemo etiam ignorat, hoc in Bullis Iubilæi, & Plenariarum Indulgentiarum frequenter denunciari; Hoc orandi genus maximum pondus habere, Sacræ litteræ conteſtantur. Quid enim magis odit Deus *quam ſeminantem inter fratres diſcordias*? Et ſicut quodam loco ait Bernardus: *Nihil æquè Dæmoni moleſtum, vt concordia; Si enim de ieiunio agatur, ipſe nunquam comedit: Si de vigilijs, nunquam dormit: Si de paupertate, nihil habet: Si de continentia, nec ei naturalis eſt, concordiam ægerrimè fert teneri in terrâ, quam non potuit tenere in cœlo.* Vnde enim ruina Angelorum ſuam traxit originem, niſi ex magno illo prælio, inter Sanctum Michaëlem, & Draconem illum, de quo in Apocalypſi Ioannes. Si incunabula primæ Eccleſiæ commemoremus, nonne de illius temporis fidelibus affirmat Lucas: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna*? Vrget hoc Auguſtinus, & af-

Prouerb 6.

Bernardus de modo bene viuendi c. 41.

Lucas Act. 4.

Auguſt. Sermo 15. de verbis Apoſtoli.

firmat, *maiorem eſſe fraternitatem Chriſti quam ſanguinis*, quod illa ſimilitudinem tantummodo corporis referat, hæc vnitatem cordis, animæque demonſtret.

Ioannis 17. Orauit aliquandò Patrem Chtiſtus, vt fideles omnes vnum ſint, ſicut ipſe cum Patre, hoc eſt, ſicut ipſe æqualitate & vnitate ſubſtantiæ vnum eſt cum Patre, ita illi imitatione videlicet & nexu charitatis. Fraternitatis nomen, cœtus Chriſtianorum omnium ſibi vſurpauit, quod ab illis aſſumptum riſit Lucianus procacis ingenij vir, & linguę dicacis; *Quod ijs* (inquit ille) *eorum Legiſlator, perſuaſiſſet fratres eſſe*. Verè perſuaſit Luciane, & piè admodum hoc Chriſti monitum in primordijs Eccleſiæ primi fideles amplexi ſunt, de quibus Tertullianus, Qui exaggerans incredibilem Chriſtianorum amorem inter ſe, etiam vſq; ad Gentilium ſtuporem, qui non poterant (ait) quin exclamarent: *Vide vt inuicem ſe diligant, & vt pro alterutro mori ſint parati*. Fratrum etiam nomen Chriſtianis

Tertul. Apolog. 39. c.

attri-

attributum, tum ex Euangelio, tum ex Epiſtolis Paulinis, notum eſt. Ad poſterorum confuſionem tantopere inter ſe diſſidentium, hæc prima fraternitatis nomenclatura commemoratur. Deſiderat Chryſoſtomus, & deeſſe lamentatur, in ſui temporis Chriſtianis, id vinculum charitatis, fruſtraq; ab Epiſcopo pacem in Eccleſiâ omnibus denuntiari (alludit ad verba *Pax vobis*) eandemque ſpiritui ipſius viciſsim alios adprecari. Et ſi ad noſtra tempora, oculos conuertâmus, an non meritò, frequentiſsimè rogandus ſit Spiritus Sanctus, omnis concordiæ Author, quíque *diuerſitatem linguarum in vnitate fidei congregauit*, vt maior foueatur inter animos Chriſtianorum vnitas? & ſicut ille in Sanctâ Trinitate, vocari ſolet nexus & amor, quo vniuntur aliæ Perſonæ, ita idem Spiritus inter fideles concordiæ in Eccleſiâ (quam Vnam profitemur) Author exiſtat, etiamſi Hæretici & Sciſmatici eam diſcindere & diſſecare conentur: vt quondam Arius quemadmo-

Chryſoſtom. Hom. 33 in Matth.

dum

dum Petro Alexandrino, Chriſtus ętate duodenni in lacerâ veſte oſtendit.

Ad Principes venio, & aſſeuero nationale diſsidium, valdè & à charitate Chriſtianâ, & à rectâ ratione alienum eſſe; nationale, inquam, cum ſic ſuæ quis addictus eſt nationi, alienum vt oderit, inſectetur, & maledictis proſcindat. Qua ratione Roma coaluit, creuitque, quam ſuo nationes omnes gremio excipiendo, fouendoque, omnium facta communis patria? Quod potuit Romana praxis, non operabitur Sanctorum Communio, quam in Symbolo profitemur? Nullius ponderis exiſtimabitur *Matris* Epitheton quo Chriſtiani omnes Eccleſiam cohoneſtant? Proh pudor! in Chriſtianiſmo Principes inueniri, qui publicum Eccleſiæ bonum, priuatis ſimultatibus affligunt, aliàs re, conſilio, & vitâ ipſâ iuuandum; ad Ethnicos relegandi eſſent; inter quos generoſi & excelſi animi meritò cenſendus eſt Plancus Ciceronis familiaris: *Non me impedient*, inquit ad Ciceronem,

Ad Cic. lib. 10. epiſt. 11

priua-

priuatæ offenſiones, quo minus pro Reipublicæ Salute, etiam cum inimiciſſimo conſentiam. Seponant igitur ſimultates, & æmulationes, & cum viderint Remp. extremis periculis proximam, vnanimi voto fortiſſimè contutentur: faceſcant qui errare malunt, & eam ſententiam quam amauerint pugnaciſſimè defendere, quam illa amplecti, quæ à Sacris litteris, & Sanctis Patribus inculcantur, & commendantur. Exquirant piorum olim Principum exempla, cum Chriſtianiſmus laboraret. Notent quanta mala, ſenſerit Chriſtianiſmus ex facto illorum, qui minimâ occaſione diſſidebant ab alijs, cedebant nemini, denique melius, peius, proderat, oberat, nil videbant, niſi quod lubebat. Hauriant memoratu digniſſimam Gregorij ſententiam: *Crebrò namque*, ait, *in humanâ actione naſcitur, vnde mentes hominum, viciſſim à ſuâ vnitate & dilectione ſeparentur, & niſi ad aduerſa toleranda ſe præparet animus, proculdubiò humerus corpori non inhæret*. Hinc

Gregorij lib. 12. in Iob c. 16.

etenim Paulus ait: *Inuicem onera veſtra portate.* Cum rubore,animo voluant, præclarum illud Romanorum factum, etſi in caligine & errore Religionis, qui nullam aliam ob cauſam, Concordiæ,templum excitauerunt,quam vt hominum diſſidia,quibus interdum Reſpublica fluctuari ſolet, factis in eo ſacrificijs deponerentur. Valeat inuidia, faſtus, diſcordia. Attendant Principes quale ſacrificium ſit,cui ſub auratis & ſericijs vmbellis interſunt, cur in eo detur Pacis oſculum, interpretentur nomen Synaxeos & Communionis quam toties frequentant & arctiſſimo fœdere iuncti, aduerſus communes Eccleſiæ hoſtes conſpirent. Græci propter raptam Helenam, decennale Bellum contra Troianos ſuſtinuerunt. Carthaginenſes vt pomœria ſua nonnihil promouerent, quæ prælia geſſerunt? Romani quoties arma induerunt, & in certamen deſcenderunt, vt cauſas ſuorum ſociorum & confœderatorum defenderent? Iudæi cum arcam fœderis perdidiſſent, Omnium

viſce-

Digitized by Google

viſcera commota fuere: *Vlulauit omnis ciuitas*, & Principibus Chriſtianis in communi Eccleſiæ cauſâ nihil reſtat doloris? nulla iuſta indignatio? Principes inſtrumenta ſunt, vt portent gladium ad pacem in Chriſtianiſmo conſeruandam. Sed quis feret Primates illos quibus Chriſti, fidei, Eccleſiæ, & Sacramentorum defenſio commiſſa eſt, qui à Maioribus ſuis, longâ ſucceſſione & ſerie doctrinam Catholicam didicerunt, qui iurarunt ſe fortunas, Regna, & vitam pro Chriſto, & Eccleſiâ periclitaturos. Quis, inquam, feret hos ipſos eſſe, per quos ſubinde hæreſes creſcant, & augeantur? Quorum negligentiâ, fides Catholica decreſcat? Quorum incuriâ lolium à frumento non diſcernatur? Quibus tacentibus innocentes quaſi ſepulti ſunt, & Chriſtus ipſe perſecutionem patiatur? O Principes quantum malum, vobis dormientibus, in Chriſtianiſmum inuectum eſt! Vos eſtis, per quos Giezi ſæpè vendidit, Simon emit, Iaſon ambiuit, Ozias malè ſibi vſurpauit. O Prin-

1. Reg. c. 4.

cipes, non videtis quis Reipublicæ ſtatus? vrgeat vos zelus gloriæ veſtræ, & vereamini ne inteſtina veſtra diſſidia, plurium malorum cauſa ſint & principium. Quid dicam de multis nobilibus quorum manus in Eccleſiæ cauſa obrigeſcunt, qui tutos ſe putant ſi Eccleſiam non tueantur, qui ditari volunt, publicis bonis cum aliorum detrimento, & apud ſeipſos ſic loquuntur: Conſumat, perdat, pereat: accidat quod volet: præualeant hæretici, dogmata ſua intrudant: ſeditioſi graſſentur, Status Patriæ perturbetur, ego meam rem curabo. Ego verò à te, o pauper inſenſate! hoc vnum expoſtulo: Caſu poſito, vt in naui, ita ſimus in Republica, habeant hi, & illi multas merces, theſauros, litteras, diuitias; exurgat tempeſtas, & requirat Proreta omnium manus, & diligentiam, num ille malè animi compos fuerit, qui reſponderit ſibi curæ non eſſe nauem, in quâ poſitus eſt, & dixerit: mihi tantum curę ſunt merces meæ, laboret in naui qui volet. O ſtolide, naui in periculum adductâ, num

merces

merces tuæ etiam peribunt? & illâ ſalua, num etiam res tuæ ſaluæ erunt? Hoc idem talibus Nobilibus dixerim, qui proprijs tantùm commodis inuigilant, res verò publicas deſpiciunt: Quid ſi Eccleſia aut Reſpublica in diſcrimen adducatur, vbi quæ congeſsiſtis? vbi reditus, fundi, diuitiæ? vbi & vita ipſa, ſecura erit? veluti ortâ tempeſtate, primùm ad exonerandam nauem, merces quantumuis pretioſas, in mare deijci videmus, ita periclitantur diuitiæ, & honores facta Religionis & Reipublicæ mutatione. Quam melius igitur vt quiſque cooperetur & contendat, alij precibus, alij eleemoſynis, alij exhortationibus, alij ſeueritate iuſtitiæ, vt Christiana Reſpublica, ad portum deducatur. Nemo eſt qui hac in re aliquid non poſsit. Quod ſi minimus ſis, & in fundo nauis conſtitutus, ſaltem id ego requiram à te, quod olim nauis gubernator à Ionâ: *Surge, inuoca Deum tuum.* *Ionæ c. 1.*

CAPVT IX.

De Oratione pro Pace obtinendâ.

INdictæ ſunt ſæpè communes preces, pro hac re, & ipſe Sanctiſsimus Pontifex VRBANVS Octauus in Bullâ Orationis quadraginta horarum, ſtatuit Orationem, vt Deus pacem largiri dignetur. Et in Eccleſiâ toties in anno repetitus verſus: *Fiat pax in virtute tuâ, & abundantia in turribus tuis.* Præterea orat illa: *Deus à quo ſancta deſideria, recta conſilia, & iuſta ſunt opera, da ſeruis tuis illam quam mundus dare non poteſt pacem, vt & corda noſtra mandatis tuis dedita, & hoſtium ſublata formidine, tempora ſint tua protectione tranquilla.* Pacis laudes & commoda quid attinet perſequi? Illius optima vtilitas eſt, *Vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati ſeruiamus illi. Tantum eſt pacis*, ſcribit Auguſtinus, *bonum vt etiam in rebus terrenis, nihil gratius ſoleat*

Pſal. 121.

Luc. 1. Auguſt. 19. de ciuit. c. 11.

audiri,

audiri, nihil deſiderabilius concupiſci, nihil poſtremò poßit melius inueniri. Silius item Italicus Poëta Hiſpanicus, ſic de Pace cecinit: —— *Pax optima rerum*
Quas homini nouiſſe datum eſt, pax vna triumphis
Innumeris potior. ——
Voluit diuina prouidentia, vt Chriſtus, cum ſummâ mundus pace frueretur, veniret: vt facilius Euangelica doctrina propagaretur, quod Hieronymo, Theodoreto, & Procopio obſeruatum eſt, & ne Iudæi putarent Meſsiam bella geſturum, eiuſque imperium armis & potentiâ proferendum; Primum fatetur Eccleſia, dum ſic orat pro Imperatore aduocato ſuo: *Deus qui ad prædicandum æterni Regis Euangelium, Romanum imperium præparaſti, prætende famulo tuo Imperatori noſtro N. arma cœleſtia, vt pax Eccleſiarum nulla turbetur tempeſtate bellorum. Per D.* Quid autem aliud eſt bellum, quam præſentiſsima ad mortem ſemita? bellum nihil habet bo-

Digitized by Google

num, aut laudabile, niſi quod ad pacem ordinetur, finis enim belli pax eſt, & omnis miles caſtra ſequitur, vt poſtea viuat in pace, bellamur vt in pace degamus, aufer à bello finem, quæ pax eſt, & amplius non erit bellum, ſed manifeſta, tyrannis, graſſatio, & latrocinium. Imò de bellis etiam iuſtis, ſic Tertullianus: *Quis*, inquit, *enſem accingitur, & non contraria lenitati & iuſtitiæ exercet: id eſt, dolum, & aſperitatem, & iniuſtitiam, propria ſcilicet negotia præliorum*. Mirum non eſt Auguſtinum ſcripſiſſe in hæc verba: *Pacem debet habere voluntas, bellum neceſſitas*. Pacis enim effectus ſalutaris, pace omnia conſeruantur, bello intereunt & conſternuntur, vnde obſecro pullulant morbi & mortes in hominibus, an non ex quatuor humorum corporum contrarietate & bello? & Rerumpublicarum interitus an non ex bello? Vultis ad particularia deſcendam. Quis noſtrum ignorat immenſum numerum Vrbium, Prouinciarum, Regnorum quæ quondam nobis pa-

Tertull. lib contra Iudæos. c. 9.

Epiſt. 202.

rebant,

rebant,quibus iam(vt toti mundo conſtat,) priuati ſumus, quæque ne videre quidem licet abſque metu captiuitatis,Quę pia mens temperet ſe à lachrymis quando cogitat, terram ſanctam vbi natus eſt, vbi vixit, vbi mortuus eſt, vbi reſurrexit Chriſtus noſter, Regionem illam, vbi iacta ſunt fundamenta fidei noſtræ, vbi Euangelica prædicatio habuit initium, Loca hæc, in poteſtate illorum canum, hoc eſt,Turcarum ſunt,quibus in os pinguis offa inijcienda, id eſt,tanta vis pecuniarum enumeranda eſt, vt hæc loca ſemel tantum videas. Vtinam de his locis recuperandis, ſeriò cogitarent, in eoque ſimul conuenirent,vt pro gloriâ Chriſti,hunc Sennacherib (Turcarum Principem intelligo) poſſint inuadere ac ſuperare, qui ſuperbum illud caput altiſſimè extollens,titulum ſibi *Domitoris Chriſtianorum* aſſumpſit. Ad alium orbis tractum me conuerto Conſtantinopolis ſedes Patriarchalis, Solium Imperatorum, Conſtantinopolis, quæ poſt felices annos Conſtantini, qui quaſi Sol il-

luxit huic mundo, amplius quam totâ annorum chiliade noſtra fuerat, nec vlli præterquam Chriſto ſeruierat, poſt Concilium Florentinum, heu cœpit grauiſsimum & intolerabile ſpurciſsimæ ſectæ Mahumetanæ iugum induere, illiuſque Tyrannidem tolerare. Habebat Chriſtianiſmi noſtri Corpus, oculos duos, Orientale & Occidentale Imperium, amiſsâ Conſtantinopoli, amiſſus fuit oculus dexter, remanſit ſolus ſiniſter, ſed vtinam non plura perdidiſſemus, nunquid amiſſum eſt Belgradum, Rodus, Buda, Strigonium, Peſtum & Alba Regalis? Sat querelis datum, narrationem ſiſto; videtis iuſtiſſimis de cauſis toties, *Fiat pax in virtute tuâ, & abundantia in turribus tuis*, ingeminari. Deſumptum hoc eſt ex Pſalmo centeſimo vigeſimo primo, vbi cum Propheta præmiſiſſet: *Rogate quæ ad pacem ſunt Hieruſalem.* Hortatur (ſi litteram ſpectes) vt proficiſcentes in Hieruſalem benè ei precarentur, videlicet vt illi pax ſit, vt proſperè agat, & Deus illam ſeruet, & beet, vt

Pſal. 121.

liberè

liberè ſcilicet ſemper in eam pergi poſſit, ne cultus Dei, vllum patiatur præiudicium. Subiungit: *Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis*, etiam propriè dictis, in quibus arma, victui neceſſaria, tanquam in armamentarijs, & horreis condi ſolent. Optatur illi pax, & abundantia in armis, caſtris, & exercitu, foris ac in vrbibus, & locis vicinis. Hoc etiam votum ad Eccleſiam militantem pertinet, cui omnes benè precemur oportet, vt illi pax ſit, & abundantia præſidiorum & neceſſariorum, tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus, cum Ipſa tantum Gentilium, & Hæreticorum quaſi aſſiduis ſagittis & arietibus ferientium, impetum excipiat. Mirum in modum diuino cultui bella obſtant. Vt Paulus pro Regibus & Principibus meritò indixerit preces, vt liberius videlicet Deus colatur: *Obſecro*, inquit, *primùm omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus & omnibus qui in ſublimita-*

Pſal. 121.

Paulus 1. ad Timoth. c. 2.

te ſunt: vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate. Ita ſemper ea roganda ſunt, quæ ad pacem ſunt Eccleſiæ; vt dum pacificus illius ſtatus eſt, plures ad illius gremium conuocentur.

CAPVT X.

De Precibus indictis, in Litanijs tempore belli.

PRoceſſiones quædam ordinariæ ſunt, quæ certis diebus per annum in Eccleſiâ celebrantur, vt in Feſto Purificationis Beatæ Virginis, Dominicâ Palmarum, Litanijs maioribus die Sancto Marco ſacrâ, Litanijs minoribus Rogationum, & in Feſto Corporis Chriſti, vel alijs diebus pro diuerſitate locorum. Quædam verò extraordinariæ ſunt, quæ publicis Eccleſiæ de cauſis, indicuntur maximè tempore belli, quo pij olim fideles, ad orationem tanquam ad aſylum, confugerunt. Oratio enim velut ſcutum eſt, & armorum defenſiuorum lo-

co,

co, aduerſus irruentes calamitates. Scuti porrò, clypeiue ſimilitudinem adaptant Sacræ litteræ, ſæpenumerò ijs rebus, & virtutibus, quæ in quadam (vt ita dicam) defenſione conſiſtunt; quales ſunt fides, & veritas, & oratio. *In omnibus*, inquit Apoſtolus, *ſumentes ſcutum fidei, in quo poßitis omnia tela nequißimi ignea extinguere*. Præterea: *Scuto circundabit te veritas eius*, Et: *Proferens ſeruitutis ſuæ ſcutum orationem*. Aaron videlicet, vt Dei ira ſedaretur. Ex quo loco manifeſtum eſt, qualiter auertendis malis, & amotioni flagellorum Dei ſubſeruiat oratio, quam ob potentiam & efficaciam Sanctus Spiritus *ſcutum* nominauit. Paulus etiam in Panopliâ ſpirituali, recenſet cum armis alijs multis, orationem: *Per omnem*, inquit, *orationem, & obſecrationem orantes omni tempore in ſpiritu*. Ephrem orationem *arcum* vocat. Ambroſius de Baſilicis non tradendis: *Munimenta aduerſus arma* (externa) *militis*, *ſcribit eſſe lachrymas cum precibus*. Huc

Apoſt. ad Epheſ. 6.

Pſal. 90.

Sap. 18.

Ad Epheſ. 6.

Ephrem ſerm. de Panoplia ſpirituali.

accommodari poteſt, quod obſeruat Origenes, quod de Hebræis Balac, dixit maioribus natu Madian: *Ita delebit hic populus omnes, qui in noſtris finibus commorantur, quomodo ſolet bos herbas vſque ad radices carpere*. Iuxta editionem Septuaginta: *Nunc ablinget Synagoga hæc, omnes qui in circuitu noſtro, ſicut ablingeret vitulus virentia de campo*, ita vt *ablingere* denotet orationem linguâ formatam, per quod, ait Origines, vt à maioribus accepimus, indicatur, populum Dei non tam manu, & armis, quam voce, & linguâ pugnare, orationem ad Deum fundendo. Hi ſunt chori caſtrorum, vt monet Theodoretus, in quibus Eccleſia de hoſtibus, orando victoriam reportat; quod ſi caſtra quoque materialia inſtruat, non prodit ſine precibus ad pugnam. Hæc etiam fuit praxis fidelium veteris teſtamenti, pugnat gladio Ioſue, precibus pugnat Moyſes. *Ioſue*, inquit Auguſtinus, *pugnabat, & Moyſes orabat, meritò qui pugnabat non deficiebat, quia ille orando vincebat,*

Origines in Epiſt. ad Rom. Num. 22.

Cant. 7.

Auguſt. Serm. 4. de S. Stephano.

bat, ego alijs orantibus loquor, vt precibus eorum, contingat mihi quod Dominus ait: Aperi os tuum, & implebo illud. Si Ioſue ab vno tantum orante iuuabatur, & non ſuperabatur, quantò magis ego pro quo non vnus, ſed multi rogant Dominum Deum. Hæc ille. Iudas quoque Machabæus cum de Nicanore præclaram retulit victoriam, cum ſuo milite, ad ſubſidium precum confugit; *Iudas & qui cum eo erant*, inquit Scriptura, *inuocato Deo, per orationem congreſſi ſunt, manu quidem pugnantes, ſed Dominum cordibus orantes.* Nec tantum ſignificatur in Scripturis, plurimos belli tempore precibus & gladio pugnaſſe, verum etiam exprimitur, quâ verborum formâ, quidam ad exemplum, ad futuram rei memoriam orauerint. Reperitur oratio militaris Ioſaphat Regis Iuda: *Domine Deus Patrum noſtrorum, tu es Deus in cœlo: & dominaris cunctis regnis Gentium: in manu tuâ eſt fortitudo & potentia, nec quiſquam tibi poteſt reſiſtere. Nonne tu*

2. Machab. 15.

2. Paral. 20.

Domi-

Domine Deus noſter interfeciſti omnes habitatores terræ huius cum populo tuo Iſrael? & dediſti eam ſemini Abraham amici tui, in ſempiternum? Habitaueruntque in eâ: & extruxerunt in eâ Sanctuarium nomini tuo, dicentes; Si irruerint ſuper nos mala, gladius iudicij, peſtilentia, & fames, ſtabimus coram domo hac, in quâ inuocatum eſt nomen tuum: & clamabimus ad te in tribulationibus noſtris, & exaudies, ſaluoſque facies: Aſa etiam
2. Paral. 14. Rex Iudæ, ita precatur: *Domine non eſt apud te vlla diſtantia, vtrum in paucis auxilieris, an in plurimis: adiuua nos Domine, Domine Deus noſter, in te enim & in nomine tuo habentes fiduciam venimus contra hanc multitudinem.* Breuitatis causâ
Iſaiæ 37. prætereo orationem Ezechiæ, Iudith, & aliorum. Subijcio tantum quam cordatè Regius Propheta docuerit, diuinum poſtulandum auxilium, quod ad tuenda caſtra, & ad victoriam ab hoſtibus reportandam maximè neceſſarium eſt.
Pſal. 34. *Nec enim in gladio*

ſuo,

ſuo, inquit, *poßiderunt terram, & brachium illorum non ſaluauit eos, ſed dextera tua & brachium tuum.* Item: *In te inimicos noſtros ventilabimus cornu, & in nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nobis, non enim in arcu meo ſperabo, & gladius meus non ſaluauit me.* Quid ad hæc Pſeudopolitici? Militares illæ Sanctorum preces (aiunt) nullum iam vſum habent. Nemo ſibi miraculoſam victoriam polliceatur. Deus nunc miracula non edit.

Reſpondeo, *Primò*, Antequam talibus quis aurem præbeat, iubeat vt doceant, quando Deus facere miracula deſierit, hoc eſt, quando gloriam ſuam tueri, aut noluerit, aut non potuerit.

Secundò, Etiamſi Reges nunc expreſſum Dei mandatum, de bello aduerſus hoſtes ſuſcipiendo (vt in veteri lege ſæpè accidit) non habeant; ſi tamen faciant quod ſui eſt officij, eſt, quod Deum adiutorem ſperent, ſi modo omnem in ipſius omnipotentiâ collocent fiduciam: Vterque enim Deum

grauiter offendit, & qui ſatis potentem, non credit ad tribuendam victoriam, & qui quamcumque rem aliam præter Deum, ad conficiendam victoriam, ſatis capacem eſſe perſuaſum habet; ſiue in ſuâ rei militaris peritiâ, ſiue in milite ſuo, ſiue in auxilijs amicorum, ſiue in loci opportunitate, ſeu quacumque demùm in re, confidat. Nam victoria à ſolo Deo eſt: *Dextera Domini fecit virtutem.* Et: *Quod ſi putas in robore exercitus bella conſiſtere, ſuperari te faciet Deus ab hoſtibus, Dei quippe eſt, & adiuuare, & in fugam conuertere.*

Pſalm. 117.

2. Paral. 25.

Tertiò, Non rectè ſentiunt, qui aſſerunt miraculoſum à Deo auxilium, aduerſus hoſtes, viribus ſuperiores expectare; non eſſe aliud, quam tentare Deum. Nam ſi piâ fiduciâ, & non temerario auſu, id fiat in bello iuſto, nemo ſibi perſuadeat, quod Deus nunquam hoſtes miraculosè profligare, aut nequeat, aut nolit. *Ecce*, ait Iſaias, *Non abbreuiata manus Domini, vt ſaluare nequeat, neque aggrauata eſt auris eius vt*

Iſaia 59.

non

non exaudiat, voluntatem enim gloriæ ſuę vindicandæ, nequaquam depoſuit, & vires, ac potentiam, quâ hoſtes ſuos vlciſcatur, nondum amiſit: quorum alterutrum ijs videtur, qui Deum iam miracula patrare, inficiantur.

CAPVT XI.

De Precibus, pro impetrandâ pluuiâ, poſtulandâ ſerenitate, vel tempeſtate repellendâ.

DEus ſingulari ſuâ prouidentiâ pluuiam diſtribuit, & partitur, & admirabili eius participatione, maieſtatem ſuam declarat, varijs anni tempeſtatibus per diuerſas terræ partes; ita vt hac re illum à falſis Dijs diſtinguat Hieremias: *Nunquid ſunt in ſculptilibus Gentium qui pluant? aut cœli poſſunt dare imbres? Nonne tu es Dominus Deus noſter, quem exſpectauimus? tu enim feciſti omnia hæc.* Nec aliter Amos diuinitatem amplificat: *Qui vocat aquas maris, & effundit eas ſuper faciem terræ*

Hierem. 14.

Amos c. 5.

Dominus nomen eius. Hebraicè Iehoua nomen eius, qui ipſe, per ſe eſt, & omnibus vt eſſent, dedit. Sed nulla magnificentior deſcriptio quam Eccleſiaſtici: *In magnitudine ſua poſuit nubes, ſuper omnem congregationem aquarum requieſcet, & ſicut loricâ induet ſe aquis*: Et Deus cæterarum rerum rationis expertium, Creator, *pluuiæ Pater* à Prophetâ appellatur. *Quis eſt pluuiæ Pater? vel quis genuit ſtillas roris?* In ſinuatur his verbis: peculiaris ipſius pluuiæ Author. Alio etiam loco docet, à Deo ligari aquam in nubibus. *Quis ligat*, inquit, *aquas in nubibus ſuis, vt non erumpant pariter deorſum*. Imò nunquam ſatis, rem tantam, ſibi viſus eſt Iob exaggeraſſe; Vnde in hanc interrogationem proſilit: *Quis dedit vehementiſſimo imbri curſum, & viam ſonantis tonitrui, vt plueret ſuper terram abſque homine in deſerto, vbi nullus mortalium commoratur, vt impleret inuiam, & deſolatam, & produceret herbas virentes?* Notandum etiam

Eccleſ. c. 43.

Iob 38.

Iob cap. 26.

Iob 38.

quem-

quemadmodum & tres pueri poſt Solem, Lunam, & Stellas, ad Dominum benedicendum prouocant imbrem & rorem: *Benedicite omnis imber, & ros Domino.* Daniel. 3.
Accedit quod Regius Propheta, inter magna opera Dei, & inſcrutabilia, & mirabilia abſque numero, quibus vniuerſalis Dei prouidentia commendatur, nubium coactionem, vt imbres oportunos tribuant, ſine quibus terra, fruges & fructus ferre nequit, recenſet: *Qui operit cœlum nubibus, & parat terræ pluuiam. Qui producit in montibus fœnum, & herbam ſeruituti hominum.* Pſal. 146. Non fœnum in montibus, qui aridiores ſunt, & ab aquis fluuialibus remotiores, non herbam quæ ſatione, & agriculturâ prouenit, terra ſine pluuiâ, ad vſum hominis producere poteſt. Rogabis cur hæc omnia Deus ipſe facere dicatur? Reſpondeo: Quia vim communicauit cauſis ſecundis, cum iiſdem, concurſu ſuo generali concurrens, cum videlicet in aëre condenſantur nubes, & pluuia deſcendit. Rurſum, quia

ſpeciali prouidentiæ ſuæ curâ, ſubinde in vſum hominum pluuiam dimittere ſolet. Poſtremò inter eximia Dei beneficia, quæ etiam in iniuſtos, & ingratos confert, pluuia numeratur: *Ego autem dico vobis*, inquit Christus, *diligite inimicos veſtros — vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cœlis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.* Nunc propiùs accedendo, ſciendum eſt, varijs de cauſis, pluuias aliquando prohiberi, & ſicut in fine mundi, Deus ad vltionem inimicorum ſuorum, omnem creaturam armabit iuxta illud: *Pugnabit pro eo orbis terrarum contra inſenſatos.* Ita nunc ad vltionem aliquam ſumendam, aliquas creaturas armat, per quas homines ſolet flagellare. Hac ratione per Prophetam loquitur: *Ego quoque prohibui à vobis imbrem, — & nubibus meis mandabo ne pluant &c.* Et enumeratis peccatis Achab, Prophetiam contra eundem ingeſſit Helias, & ſiccitatis plagam, ob peccata Achab, & populi

Matth. 5.

Sap. 5.

Amos 4.

(maxi-

(maximè verò ob idololatriam, iurando per Dei vitam) prænuntiauit, dicens: *Viuit Dominus in cuius conſpectu ſto, ſi erit annis his ros & pluuia, niſi iuxta oris mei verba.* Etſi autem hoc loco, non exprimatur ad quot annos, Elias ſiccitatem indixerit, ex Canonicâ Iacobi certum habemus, tres annos ac dimidium duraſſe. Peccata ergo ſiccitatis cauſa ſunt; vt ex Scripturis manifeſtum eſt. Quocirca duo ſunt à nobis hac in parte præſtandâ: Primùm, vt peccata per pœnitentiam tollamus, ſicut enim tempeſtas non conquieuit, donec Ionas agnouit peccatum ſuum, & vltio de eo ſumpta eſt, ita flagella non ceſſant, donec errata noſtra, ac delicta cognoſcamus. Secundùm, vt exemplis Scripturæ & Sanctorum Hiſtorijs edocti, ad orationem nos conuertamus, hoc eſt, quod Deus caſtigando intendit, dum nos corripit, & ſupplicia adhibet. *Ego,* inquit, *per Prophetam,* loco ſuperiùs allegato, *quoque prohibui à vobis imbrem — & non rediſtis ad me, dicit Dominus.*

3. Regum 17.

Amos 4.

Cog-

Cognitâ causâ, remedia adhibenda ſunt, quibus flagella amoueamus. Hoc clarè demonſtrat Iacobus Apoſtolus, qui de efficacia orationis Eliæ, ſic loquitur: *Oratione orauit vt non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres & menſes ſex, & rurſum orauit: & cœlum dedit pluuiam, & terra dedit fructum ſuum.* Prohibuit pluuiam, & famem induxit, in pœnam Achab & intemperantis populi, clauſit à pluuijs cœlos, & aperuit. Operæ pretium eſt hoc loco notare, quis geſtus & habitus Eliæ orantis fuerit, cum ad fœcundandam terram pluuias demitti expeteret. Ita Scriptura: *Elias autem aſcendit in verticem carmeli, & pronus in terram poſuit faciem ſuam inter genua ſua.* Quid ad hanc orationem ſecutum eſt? Subiungitur in contextu: *Ecce cœli contenebrati ſunt, & nubes, & ventus, & facta eſt pluuia grandis.* Ecce conglobatus orat, & habitu vtitur ſerui ad verbera præparati, cui caput inter genua ac manus & pedes ita ligetur, vt effi-

Iacobi c. 5.

3. Regum 18.

Vide Chryſoſt. Homil. 2. de Elia.

ciat quaſi globum; corpus autem ſic componebat, vt ſe quaſi verberonem ad flagella paratum oſtenderet, vtque populo ſatis vexato diuturnâ fame, & ſiccitate, miſericordiam exoraret, vti voluit ſummâ, imaque corporis demiſſione. In nouo etiam Teſtamento non deſunt Sanctorum exempla, qui diuina flagella precibus auertere conati ſunt, cum populum afflictum, commiſerationis viſceribus permoti, viderent; & impetrarunt benedictionem vſque ad abundantiam. Ex Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ produntur exempla, tum ſiccitatis tum effuſioris & exundantis imbris, & vtrique malo vel precibus, vel Sanctorum Reliquijs, remedium diuinitus allatum eſt. Veſtes olim Sancti Ioannis Apoſtoli, Romæ in ſupplicationibus deferri ſolebant, vel ad ſerenitatem, vel ad pluuiam impetrandam, vt ſcribit Ioannes Diaconus in vitâ Gregorij. Ab Hilarione impetrata eſt pluuia, poſt triennium à morte Anthonij, quo cœlum clauſum terras arefecerat, vt vulgo dicerent: *Anthonij*

Ioannes Diaconus lib. 3. c. 58. & 9.

mortem etiam elementa lugere. Videatur Diuus Hieronymus, qui vitam Hilarionis conſcripſit. Cyrillus etiam in vitâ Sancti Sabæ; Heliâ Hieroſolymitano Epiſcopo indigniſſimè ab Epiſcopatu eiecto, ſiccitate, locuſtâ, & alijs plagis, Palæſtinæ Prouinciam, annis quinque oppreſſam fuiſſe teſtatur. Beda inſuper notat: Wilfridum Lindefarnenſem, Auſtrales Saxones Baptiſmo tinctos, à triennali ſiccitate liberâſſe. Vincentius quoque Author eſt: Audoënum vel Adoinum imbre in Hiſpaniâ excitato, quo ſeptem annis caruerat, multos conuertiſſe. Dubrauius ſcriptum reliquit: Adelbertum Pragenſem aliquot Monachis comitatum, tantum in Bohemiam ſummâ ſiccitate laborantem, ſecum imbrium copiam intuliſſe, vt loca pleraque ſtagnauerint. Inde originem traxit apud Bohemos & Germanos prouerbium: *Religioſos viros iter facere eâ die cum vident pluiturum*. Audiendi ergo non ſunt, qui de pluuia & ſiccitate magis Ariſtotelicè, quàm Chriſtianè philoſo-

Hieron. in Hilarione.

Beda lib. 4. Hiſt. Anglorum c. 13.

Dubrauius lib. 6.

phantur, & clamitant ſiccitatis & ſterilitatis tempore, fruſtra nos adeò anxios & ſollicitos eſſe, vt has plagas deprecemur, cum naturaliter, hoc eſt ſecundum diſpoſitionem cauſarum & influentiarum ſic debeant euenire. Quid ad hæc Sacræ litteræ? *Si autem audieris vocem Domini Dei tui, vt facias atque cuſtodias omnia mandata eius*. Sequitur paulò pòſt: *Benedictus Deus in ciuitate, benedictus in agro &c.* Si Deo fideliter ſeruiremus & conſtanter oraremus, Deus illas cauſas naturales impediret. Vnde appoſitè Vincentius ille magnus Prædicator, in hac materiâ notatu digniſſimam adfert ſimilitudinem: De Patrefamilias, cui multi filij, & qui victualium clauem commiſit Ancillæ, quæ ſi duram nimis, & crudelem ſe filijs exhibeat, nec vitæ neceſſaria adminiſtret, remedium filijs in promptu eſt, vt ad Patrem accurrant, qui in neceſſitate rogatus, ablatis ab Ancillâ clauibus, ipſe promptuaria aperit & benignum nutritium ſe declarat. Deut. 28.

Eodem prorſus modo, Paterfamilias Deus, naturæ tanquam ancillæ, claues conceſſit, vt per pluuiam, panem, vinum, & alia neceſſâria nobis ſuppeditaret, quæ ſi dura efficiatur, & propter conſtellationes Planetarum, & alias naturales cauſas, neceſſaria nobis deneget, exemplo paruulorum obſeruantes præcepta eius, Deo in orationibus noſtris querelas exponamus. Occaſione huius ſimilitudinis aduertendum eſt, plurimas rerum claues penes Deum eſſe; de quibus varijs in locis Scripturæ, mentio fit, vt in Deuteronomio de claue pluuiæ: *Aperiet Dominus theſaurum ſuum optimum cælum, vt tribuat pluuiam terræ tuæ in tempore ſuo.* De claue cibationis, ſeu alimoniæ apud Pſalmiſtam: *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* De claue ſepulchrorum, id eſt, reſurrectionis, ſic Ezechiel: *Cum aperuero ſepulchra veſtra.* De claue fœcunditatis in fœminis, ita liber Geneſeos: *Et recordatus quoque Dominus Rachelis exaudiuit eam, &*

Deut. 28. *Pſal. 145.* *Ezechielis 37.* *Gen. 30.*

ape-

aperuit vuluam eius. De claue ventorum: *Qui producit ventos de theſauris ſuis*. De claue niuis & grandinis: *Nunquid egreſſus es theſauros niuis, aut theſauros grandinis aſpexiſti?* A Dauide etiam commemoratur: *Et mandauit nubibus deſuper, & ianuas cœli aperuit, & pluit illis Manna ad manducandum*. Ex quibus omnibus colligimus, Deum ſupplici prece frequenter interpellandum, vt obſeratum, & clauſum arcanæ illius prouidentiæ promptuarium, clementer, & miſericorditer dignetur aperire.

Pſal. 134.

Iob 38.

Pſal. 77.

CAPVT XII.

De Oratione tempore Penuriæ, & Famis.

FAmis, & penuriæ cauſæ naturales ſunt, ac diuinæ, habet fames frequenter cauſas ex ſiccitate, largiore imbre, vredine, rubigine, æſtu intempeſtiuo; de his cauſis Phyſiologi, Ariſtoteles, Plinius, & alij, multa tradiderunt: Atquin ab irato Deo, fames

aliquando proficiſcatur, negari non poteſt. Iſtâ clade, Deus etiam plerumque ſcelera punit, cuius animaduerſionis nouem Chaldæus Paraphraſtes obſeruauit, ex quibus conſtat famem ad caſtiganda peccata immiſſam, quam inter ſupplicia grauiora velut grauiſsimum peccatoribus Deus comminatur, nimirùm plus quam gladium & peſtem (malas beſtias) vt videre eſt in Deuteronomio: *Mittet Dominus ſuper te famem, & eſuriem, & increpationem in omnia opera tua: Donec conterat te, & perdat velociter.* *Prima* fames fuit ſub Adam, propter cuius inobedientiam, terra negauit prouentus ſuos. *Secunda* viuente Lamech. *Tertia* tempore Abrahæ, quo vltionis diuinę (per diluuium) obliti mortales, ad priora peccata redierunt. *Quarta* viuente Iſaac, cum Iſmael à vero Dei cultu deficiebat. *Quinta*, quæ debebatur peccatis fratrum Ioſeph. *Sexta* ſuperſtite Booz, quando Hebraicus populus, Baalim & Aſtaroth ſeruiuit, depoſitâ memoria, liberationis ſuæ ex

Deut. 28. | Gen. 3. | Gen. 5. | Gen. 12. | Gen. 26. | Gen. 39. | Ruth 1.

Ægyp-

Ægypto, & tot aliorum beneficiorum, quę Deus in illum contulerat. *Septima* regnante Dauid, propter grauiſsima ſcelera Saulis. *Octaua* ad vindicandam Achab, & Ieſabelis tyrannidem; & crudelitatē aduerſus Eliam, & alios Prophetas. *Nona* ſub Eliſæo ſimili de causâ, facta eſt fames magna in Samariâ. Rectè proinde Baſilius, qui proprium de fame, & ſiccitate ſermonem conſcripſit, & Diuus Hieronymus in tertium caput Malachiæ generaliter pronuntiant, famis & penuriæ flagella, authore Deo peccatis infenſo deſcendere. Apertiſsimâ hac in re Scripturæ teſtimonia ſunt, quibus ſignificatur, famem dininitùs illatam: *Terra cum peccauerit mihi, vt præuaricetur præuaricans, extendam manum meam ſuper eam, & conteram virgam panis eius: & immittam in eum famem.* Et: *vocauit famem ſuper terram; & omne firmamentum panis contriuit.* Deus videlicet, qui *vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt.* Similiter vocauit Dominus famem, vt veniret ſuper ter-

2. Regum 21.

3. Regum 17.

4. Regum 6.

Ezechielis 14.

Psal. 104.

Rom. 4.

4. Regum 8.

Digitized by Google

ram annis ſeptem. Præterea cum Pſaltes Dei prouidentiam, in rerum naturis aliquando permutandis commendaret, ita locutus eſt: *Poſuit flumina in deſertum, & exitus aquarum in ſitim.* Hoc eſt, ſiccauit flumina, & ſolum ipſum, per quod defluebant reddidit aridum, ſiticuloſum, & deſertum. Sequitur, *Terram fructiferam in ſalſuginem.* Hoc eſt terram antea fructiferam, ſterilem effecit, illique ſimilem, quæ ſale operitur, vt ſterileſcat. Cauſam verò huius mutationis, aſsignat peccata eorum, qui ea loca incolebant, cum ait: *A malitia inhabitantium in eâ.* In nouo verò Teſtamento facilè eſt colligere, non paucas fames, quæ authore Deo, mundum magnis peccatis implicitum, deuexârunt. Nota eſt imprimis illa, quam prædixit Agabus, cuius ſolennis memoria ponitur in Martyrilogio Bedæ, tertiâ Februarij. De quo ita Lucas in actis: *Et ſurgens vnus & eis nomine Agabus, ſignificabat per Spiritum famem magnam futuram in vniuerſo*

Pſal. 106.

Act. 11.

Digitized by Google

orbe terrarum quæ facta eſt ſub Claudio. Hanc famem à Deo immiſſam, propter mala, quę aduerſus Apoſtolos, fiebant à Iudęis Chryſoſtomus adnotauit. Cum autem hæc fames vniuerſalis futura erat, & omnes clades à Chriſtianis, prouenire dictitabant Gentiles; voluit *Spiritus Sanctus* per Prophetam illam prædici. Attendat, Lector, quale remedium, nobis Sacræ litteræ præſcribant. Miſeriam famis in deſerto paſſi ſunt Hebræi, errantes per inuia, & inaquoſa, vbi nec aquæ ſuppetebant, nec eſcæ, ita vt interdum deficere viderentur. *Errauerunt*, inquit Pſaltes, *in ſolitudine in inaquoſo — eſurientes, & ſitientes, anima eorum in ipſis defecit.* Sed quando deficiente humano auxilio, recurrerunt ad Deum cum clamore ſupplici, præbuit ille auxilium; atque de graui neceſſitate liberauit, ſuppeditando potum & cibum, ac oſtendendo ipſis viam rectam, ipſoſque in eà deducendo, vt peruenirent ad fixam, commodamque habitationem, ſiue ad ciuitates, in quibus repe- *Pſal. 107.*

riri ſolent ea, quæ humanæ vitæ commoda, ac neceſſaria ſunt. In hac autem penuriâ, quo conſilio vſi ſunt? Reſpondet Propheta eodem Pſalmo: *Clamauerunt ad Dominum cum tribularentur, & de neceßitatibus eorum eripuit eos*. Mirabili ſanè ratione alimoniam in ſolitudine parauit, homines ieiunos, & valdè fameſcentes, aquâ de rupibus extractâ, Mannâ veluti Angelicis manibus confecto, pauit, recreauit, & ſatiauit. Porrò hoc Hebræorum exemplo probare, & perſuadere voluit Dauid omnibus, vt diſcant in Deum ſperare, & opem eius fidenter implorare. Si ex venerandâ antiquitate teſtimonia petantur, inuenietur ſimiles prouidentiæ ſuæ effectus, Deum nonnunquam erga alios, ſimilem tolerantes neceſsitatem, ſæpenumerò demonſtraſſe.

CAPVT XIII.

De Precibus, tempore Mortalitatis, & Peſtis.

VArijs vicinis, hoc eſt, morborum generibus homines attrahit mors, & ad inſtar nautæ vehementer deſiderat, celerem in huius mundi pelago, nauigationem. Vnde eleganter Scriptura de vitâ humanâ hanc comparationem inſtituit: *Dies mei velociores fuerunt curſore —— & pertranſierunt quaſi naues poma portantes*; quæ videlicet propter periculum mercium facilè deficientium, & euaneſcentium, velociſsimè, quantum fieri poteſt (quia poma citò putreſcunt, & puteſcunt) in portum inuehuntur. Non abs re, vita humana pomis aſsimilatur, quæ cito erumpunt, matureſcunt, decerpuntur, inter quæ alia ſponte cadunt, ita quidam rapiuntur vt poma immatura, & necdum rubentia in ineunte ſcilicet adoleſcentiâ. *Raptus eſt ne malitia* Iob 9. Sap. 4.

mutaret intellectum eius. Quædam putrida in arbore ſeruantur, ita multi ad decrepitam, ſed miſerijs plenam, perueniunt ſenectutem. Alia etſi rubent, & pulchra oculis apparent, tamen, ſi ſeces, vermes intus inuenies; ita ſunt qui ipsâ ſpecie, longam vitam pollicentur, at morbis latentibus abſumuntur. Sed omnium denique finis breuis; quia dies ætatis noſtræ, fructus æſtiui ſunt, & fugaces. De morborum origine, hoc loco non ex Phyſicis, aut Medicis, ſed ex Sacris litteris, paucis erit diſſerendum. Si de naturalibus cauſis loquamur, certum eſt illas eſſe varias, vti & varia ſunt Antidota, quæ ſapientiſſimus *Deus* creaturarum Conditor, in vſum ſanitatis acquirendæ, hominibus deſtinauit, quæ proinde ſtultè contemnuntur, & abijciuntur: *Altiſsimus creauit de Medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam.* Non horruit eam Auguſtinus, qui alijs excluſis, Medicum tantùm æger admiſit. Non horruit Baſilius, & alij viri ſanctitate illuſtres, qui virtutes creatiuas herbis,

Eccleſ. 38.

& lapidibus, à Deo inditas ſpernere noluerunt; ſed tanquam cætera Dei dona & beneficia cum gratitudine acceptârunt. In caſu enim Medicinam contemnere, eſt Deum tentare, Nec fauet reſpuentibus naturalia remedia, quod Beata Agatha dixit: *Medicinam carnalem corpori meo nunquam adhibui, ſed habeo Dominum Ieſum Chriſtum, qui ſolo ſermone reſtaurat vniuerſa.* Reſpondet enim Diuus Thomas his verbis: 2. 2. q. 97. art. 1. *Beata Agatha experta erat erga ſe diuinam beneuolentiam, vt vel infirmitates non pateretur, pro quibus corporali Medicinâ indigeret, vel ſtatim ſentiret diuinæ ſanationis effectum.* Non ſic tamen Medicinæ inniti debemus, vt neglecto Dei auxilio pro ſanitate conſequendâ, orationi non incumbamus, & morborum cauſas, quæ ſæpè ſunt peccata, conemur amouere. Quandoquidem contingat, propter varias rationes, Deum immittere infirmitates. Vno modo, propter peccatorum correctionem & emendationem, vt videlicet morbo

correptus ad Deum conuertatur, & reſipiſcat. *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea accelerauerunt.* 2. Sunt morbi, in cautelam peccati, & veluti Medicina à peccatis præſeruans. Talis fuit infirmitas Ezechiæ, *qui ægrotauit* (inquit Scriptura) *vſque ad mortem.* Vbi cauſam Hieronymus annotauit, ne poſt incredibiles triumphos, eleuaretur, & peccaret. 3. Alio fine interdum, à Deo morbi infliguntur, ad perfectam nimirum purgationem. Talem fuiſſe Lazari pauperis illius infirmitatem probat Chryſoſtomus: Purgatus eſt enim in hoc ſæculo, vt in altero, purus inueniretur. Hac ratione Ioſiam iuſtum Regem, quia non obediuit voci Prophetæ, vulneratum ſcribit Iuſtinus, in bello, & obiiſſe, vt in hoc ſæculo purgaretur. 4. Morbi à Deo inducuntur, propter peccatum, & in vltionem, Maria Soror Moyſis propter murmurationem leprâ percuſſa eſt. Paulus etiam teſtatur, morbos ex peccatis naſci, cum de indignè ſumentibus Chriſti Corpus, ſic loquitur: *Ideò inter vos multi*

Pſal. 15. *Ezechiæ 40.* *Lucæ 16. Homil. 1. ad populum.* *Iuſtinus quæſt. reſponſ. 79.* *Num. 12.* *1. Cor. 11.*

infir-

infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. Et Chriſtus ipſe, poſt reſtitutam languido (qui triginta octo annis ægritudine detentus fuerat) ſanitatem, eundem hortatus eſt, ne amplius peccaret: *Iam noli*, inquit, *amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Apertè indicauit, morbi radicem peccatum fuiſſe. Talis fuit inauditus, & horrendus ille morbus Herodis infantium occiſoris, vt notat Euſebius. Similis etiam fuit morbus Antiochi, & Ioram. Talis etiam fuit peſtis, quam ſæpiùs tanquam flagellum ad vindicanda peccata, immiſit Deus; conſtat enim hanc Ægyptiorum quintam fuiſſe plagam, quam per Moyſen Pharaoni denuntiari voluit Deus: *Ecce manus mea erit ſuper agros tuos, & ſuper equos, & aſinos, & camelos, & boues, & oues peſtis valdè grauis.* Hoc de brutis animalibus, in quæ primum publicæ peſtilentiæ, & inde mox in homines, ſęuire ſolent. De quibus eodem capite ſequitur: *Nunc extendens manum percutiam te, & populum tuum peſte, per-*

Ioan. 5.

Euſebius l. 1. Hiſtoriæ c. 8. 2. Mach. 9. 2. Paral 21.

Exodi. 9.

ibiſq;

ibiſque de terrâ. De quibus locis, ſi quæratur an peſtis per hanc quintam plagam immiſſa fuerit naturalis, id eſt, ex cauſis naturalibus naturaliter profecta, an verò ſupernaturalis, id eſt, per omnipotentiam Dei, præter naturæ ordinem, & curſum inflicta? Reſpondendum: Peſtem illam principaliter ſupernaturalem fuiſſe, nam idcircò propriè vocatur *Manus Domini. Ecce*, inquit Dominus, *manus mea erit ſuper agros tuos &c.* Hoc ipſum oſtendit eius effectus, id eſt ſubitus tot animalium interitus, non quę intra vrbes, ſed extra vrbes in campis erant. Sed & illud certam huius rei fidem facit, quod cum Hebræi & Ægyptij promiſcuè habitarent, & itidem eorum animalia ſimul eſſent in campis, peſtis tamen animalia Ægyptiorum ſuſtulit, Hebræorum nihil læſit. Eruditè etiam notauit Theodoretus, Moyſen ſuppliciaque illaturus eſſet, prę dixiſſe, ne exiſtimare poſſent caſu contigiſſe, ſed intelligerent, eſſe plagas ipſis, propter peccata, à Deo illatas. Vti & iſta peſtis fuit diuinitùs

Teod.

Angelorum miniſterio immiſſa, quæ contigit Iudæis tempore Dauidis, qui Angelum contra Hieruſalem gladio euaginato ſtantem conſpexit. Peccauerat Dauid iubendo populum numerari, non quod id nunquam liceat, ſi cauſa quæpiam honeſta ſubſit, vt cenſus, aut delectus, ſed quod ex arrogantia numerum iſtum ſcire voluerit, vt ait Auguſtinus. Quid inde ſecutum? *Cumq́ veniſſet*, ait Scriptura, *Gad ad Dauid nūntiauit ei dicens, aut ſeptem annis veniet tibi fames in terrâ tuâ: aut tribus menſibus fugies aduerſarios tuos: & illi te proſequentur, aut certè tribus diebus erit peſtilentia in terrâ tuâ. Nunc ergo delibera, & vide, quem reſpondeam ei, qui me miſit, ſermonem.* Elegit ex tribus Rex peſtem, dicens: *Melius eſt*, inquit, *vt incidam in manus Domini, multæ enim miſericordiæ eius ſunt, quam in manus hominum* (quando videlicet de pœnâ temporali agitur, ſecus quando de ęternâ) elegit, inquam, non quia Gad Propheta, initio ſeptem annos propo-

Aug. li. 22. contra fauſtum c. 66.

2. *Regum 24.*

ſuerat, & poſtea ad tres tantùm dies deſcendit; ſed quia peſtis tam ipſi, quàm reliquis, futura erat communis, cum fames, & bellum, à Rege declinari faciliùs potuiſſent. Hac de re ſcripſit Ambroſius: *Quam præclarum autem, quod tribus oblatis*, inquit, *ſibi conditionibus, quam vellet eligeret, quando numerato populo contraxit offenſam, cum propoſitum eſſet, an ſeptennio famem ſuper terram fieri vellet, aut tribus menſibus fugere à facie inimicorum ſuorum perſequentium ſe, aut triduo fieri mortem in terrâ. Tertium elegit quod Domini ſe mallet, quam hominum committere poteſtati: Dominus enim citò miſeratus ignoſceret.* Initio naſcentis Eccleſiæ iuſtus ſcelerum vindex Deus, immiſsâ peſtis calamitate, iuſtitiæ ſuæ iura exequi cœpit, ob motam in Chriſtianos perſecutionem. Hinc ſub Nerone tanta extitit peſtilentia, vt illam Hiſtoria dignam iudicauerit Suetonius. De tempore Decij ita Oroſius: *Exoritur*, ait, *vltio violati nominis Chriſtiani*,

Ambroſius in Apolog. Dauid c. 7.

Suetonius c. 35. Oroſ. li. 7. c. 21.

& vſque adeò ad profligandas Eccleſias, Edicta Dei cucurrerunt, eatenus incredibilium morborum peſtis extenditur, nulla ferè prouincia Romana, nulla ciuitas, nulla domus fuit, quæ non illâ generali peſtilentiâ correpta, atque vaſtata ſit. Verùm hîc acuti gladij iræ diuinæ ictus, à perſequendo, gentiles non auocabat, quippe qui ècontra tantorum malorum cauſam, ob contemptum Deorum, in Chriſtianos retorquere conabantur; & publicis edictis, idolorum cultum magis, magiſque inſtaurabant. *Tàntum abeſt*, inquit Zonaras, *vt gentiles facti ſint prudentiores, exploratâ malorum causâ, fuerintq́; his eruditi, vt potius Chriſtianis acerbiùs inſultarent, ipſoſque quod Deos contemnerent, ſolito more, malorum omnium, eſſe cauſam iactarent, ac procaciùs exprobrarent*. Verùm non tantùm Gentiles, ob perſecutionem Chriſtianorum, ſed etiam ipſos Chriſtanos, propter peccata à Deo punitos, ex fide digniſſimis Authoribus manifeſtum eſt. Anno Chri-

Zonaras tomo 2. in Veluſiano.

ſti 467. peſtis Romæ ſæuiſsimè graſſata eſt, cuius meminit Gelaſius Papa, in Andronicum ſcribens aduerſus eos, qui Lupercalia ab vrbe non auferenda, contenderent: *Quando*, inquit, *Anthenius Imperator Romam venit, Lupercalia vtique gerebantur, & tamen peſtilentia tanta ſubrepſit, vt toleranda vix fuerit.* De magnâ illâ lue, quæ Anno 544. Iuſtiniano Imperatore in Oriente propagata eſt, ſic Procopius: *Fuit inſuper iiſdem temporibus ingens peſtilentia, cui remedium nullum inuentum, præterquam ex Deo, vnde venit: quanquam multi arrogantes, Phyſiologiæ cauſas commentari contendant, vanas quidem omnes, & inueſtigabiles, tantumque ſermone decipientes.* Ingens etiam peſtis inguinaria, Romam depaſta eſt ex irâ diuinâ, vt ſigna immiſſa docuêre. Teſtatur Gregorius, viſas eſſe ſagittas cœlitus illapſas, in homines, quos mox peſtis improuiſa perc cuteret. *Ante triennium quoque in hac peſtilentia* (ait) *quæ hanc vrbem clade vehe-*

Gelaſius Papa.

Procop. de bello Perſico lib. 2.

Greg. Dial. li. 4. c. 36.

men-

mentiſsimâ depopulauit, in quâ etiam corporali viſu, ſagittæ cœlitus ferire videbantur (ſicut noſti) Stephanus item defunctus eſt. Hæc ex multis pauca, ne breuitatis metam quam initio mihi propoſui, tranſgrediar. Nunc de remedijs, quibus pij ob peccata peſtilentia caſtigati, in exemplum poſteritatis, vſi ſunt. Primo loco ſe offert Regius Propheta Dauid, qui cum tantam hominum multitudinem (ſeptuaginta millia virorum) abſorptam videret, ſpatio ſex horarum (vt vult Theodoretus) contra hoc dirum malum, ad confeſsionem delicti ſui confugit: *Ego ſum*, inquit, *qui peccaui, ego qui iniquè egi*. Et ædificauit Altare in area Areuna Iebuſæi, vbi *obtulit holocauſta, & pacifica, & propitiatus eſt Dominus terræ, & cohibita eſt plaga ab Iſrael*. Si veterum Chriſtianorum Religionem intueamur, peſtem, iram Dei, & vulnus ab eodem inflictum, ſeu iaculum è cœlo immiſſum, piè admodum arbitrati ſunt, ac proinde temporibus illis, quibus hæc triſtiſſima

2. Regum 24.

lues, ac immanis fera, diro laniatu, in homines ſæuiret crudeliter (vt ſublatâ causâ, tolleretur effectus) pœnitentiæ operibus, illam auertere ſategerunt. Studuit pia Mater Eccleſia, ſacrificijs, & alijs deprecationum modis, conceptam à Deo vltionis voluntatem, ſuſpendere; adhortata populum fidelem, vt dignis pœnitentiæ fructibus Deum placaret, & feruorem iræ illius, delictis hominum, ſuccenſum, lachrymis temperaret. Hæc admonitio tacitè continetur illâ oratione, quâ in Miſsâ pro vitandâ mortalitate, vel tempore peſtis, ita precatur: *Deus, qui non mortem, ſed pœnitentiam deſideras, peccatorum: populum tuum ad te reuertentem, propitius reſpice, vt dum tibi deuotus exiſtit, iracundiæ tuæ flagella, ab eo clementer amoueas*. Scit namque à Spiritu Sancto edocta, ęgritudines peccata noſtra conſequi, proinde ad ſpiritualia amuleta, & antidota recurrendum: nouit vix vnquam morbum ſine remedio, aut ſine conſolatione, immitti afflictionem; & ſicut voluit Creatoris be-

nignitas,

nignitas, in naturâ, innumera proſtare remedia, ita etiam voluit immiſsâ calamitate, ſcelera hominum iuſtè vlciſcente, ſupernaturalibus remedijs miſericordiam ſuam implorari. Hoc Sanctis hominibus ſemper perſuaſum fuit, qui proinde peſtis tempore, ſupplicationibus, Litanijs, & id genus Chriſtianæ pietatis operibus, vſi fuêre. Cum circa Annum Chriſti 256. peſtis Africam inuaderet, ſe totum impendit Cyprianus, vt Chriſtiana plebs, officio ſuo, hac in parte, non deeſſet. *Erupit poſtmodum*, inquit Pontius in vitâ eius, *dira, & deteſtabilis morbi vaſtitas nimia, innumeros per diem populos, à ſuâ quemque ſede, obrupto impetu rapiens, continuas per ordinem domos, vulgi trementis inuaſit*. Quid inter hæc egit Chriſti Martyr inclytus? *Aggregatum*, inquit idem Author, *in vno loco plebem de miſericordiæ bono ſermonem inſtituit docens diuinæ lectionis exemplis, quantum ad promerendum Deum, proſint officia pietatis*. Quid tempore mortalitatis

Pontius in vita.

agere

agere debeant Paſtores, ex Epiſtola Gregorij Magni, ad Dominicum Carthaginenſem Epiſcopum, de peſtilentiâ Africanâ hoc loco depromendum: *In flagellis poſitos, digna flagellis committere, contra ferientem eſt ſpecialiter ſuperbire, & ſæuientis acrius iracundiam irritare. Atque eſt primum genus dementiæ, nolle quempiam à malis ſuis iuſtè quieſcere, & Deum iniuſtè à ſuâ vltione, velle ceſſare. Sed quoniam in his, diuino adiutorio opus eſt in cunctis, dilecte frater, precibus omnipotentis clementiam exoremus, vt & nos dignè iſta tribuat exhibere, & populorum ad hæc exoranda, miſericorditer corda compungat.* Sed & ipſe Gregorius, cùm Anno 590. numeroſa populum Romanum, & adiacentia circum loca, peſtis diuexaret, ſuis apud Deum mediator extitit, tanquam Moyſes, *qui ſtetit in confractione, in conſpectu eius, vt auerteret indignationem eius, ne diſperderet eos.* Et vti à maioribus acceperat, ratus dominanti plagæ obuiandum. Itaque ſupplicationem

Gregor. lib. 8. Epiſt. Epiſt. 41.

Pſ. 106. & Exodi 32. Sigoni. lib. 1. de Reg. Ita. Baro. in Annal. ad Ann. 590.

indicit, coit cum Clero populus, ſacra imago Deiparæ, per vrbem canente Clero, orante populo, circumfertur, & quocunque tranſitur, malum ceſſare, Angelorum etiam voces audire, hac Antiphonâ B. Virgini accinentium:

Regina Cœli lætare, Alleluya.
Quia quem meruiſti portare, Alleluya.
Reſurrexit, ſicut dixit, Alleluya.

Quos inſecutus Pontifex ſtatim ſubiunxit:

Ora pro nobis Deum, Alleluya.

Ab illo tempore hæc Antiphona, vel vt argumentum, vel confirmatio, quotannis, Paſchalibus gaudijs ab Eccleſiâ adaptata eſt. Hanc maiorum pietatem, noſtrâ memoriâ, imitatus S. Carolus Borromæus, cum peſtilentiæ lue graſſante, innumeri homines interirent, calamitoſo illo tempore Mediolanenſi populo, orandi regulas præſcripſit, diuinum auxilium implorauit, ipſe nudis pedibus, fune è collo vtrimque pendente, Crucifixi imaginem magni ponderis, proprijs humeris geſtauit, & concionem (inter

alias) iſtis temporibus, in Ambroſianâ Baſilicâ de ſuggeſtu habuit, in quâ themate illo, ex Hieremiâ propoſito: *Quomodo ſedet ſola ciuitas plena populo?* Auditores ſuos ad errata & peccata deflenda, mirum in modum, excitauit. Horum exemplis prouocati diuina præſidia, peſtiferæ contagionis tempore, humanis coniungamus. Horum optima, & neceſſaria eſt conſociatio, vt tam Scriptura, quàm ratio demonſtrat. Qui dedit nobis herbas, & induſtriam, ea nobis fruſtra, dediſſe non vult, idemque rurſum: qui iſta dedit, non omnem in hiſce, à nobis ſpem collocari, ſed eam à ſe ſemper pendere, nos à ſe gubernari & adiuuari voluit; idque ita nos intelligere, vt hanc eius opem, votis, precibuſque ardentiſſimis & humillimis, rogemus atque obteſtemur. Hac ratione ſupernaturalia auxilia parantur, & Deus in vltionem accinctus, populis parcere conſueuit.

CAPVT XIV.

De Oratione, Quadraginta horarum.

SPatium horarum quadraginta orationis illius, quæ hactenus potiſſimùm in Italiæ præcipuis vrbibus celebrata eſt, quamque Sanctiſſimus Pontifex Vrbanus Octauus, toti Eccleſiæ fecit communem, ex Dominicâ ſepulturâ, quæ tot durauit horas, ſumptum videtur, vt autem hoc inſtitutum penitiùs examinetur, duo hîc proponenda ſunt. Primum de numero quadragenario, Qui, vt Hieronymus ait, *ſemper afflictionis eſt, & pœnæ. Quadragenarius numerus* (inquit Albinus) *tribulationem pœnitentiæ oſtendit.* Pluuiæ diluuij quadraginta diebus, iuſtum orbi naufragium intulêrunt. Quadraginta annis circumduxit Deus populum Hebræorum, vti comminatus fuerat. *Filij veſtri erunt vagi in deſerto, annis quadraginta, & portabunt fornicationem veſtram, donec conſumantur cada-*

Hieronym. li. 9. Comment. in Ezech. cap. 29. Albinus quæſt. in Geneſ.

Num. 3. & 14.

uera Patrum in deſerto. Iuxta numerum quadraginta dierum, quibus conſideraſti terram, annus pro die imputabitur, & quadraginta annis recipietis iniquitates veſtras, & ſcietis vltionem meam. Quoniam ſicut locutus ſum, ita faciam omni multitudini huic peſſimæ, quæ conſurrexit aduersùm me, in ſolitudine hac deficiet, & morietur. Exprobrat itaq; grauiter Deus in Pſalmo prædicto, & Paulus verbis eius Pſalmi, pertinaciam Hebræorum illorum, per illos quadraginta annos, quo etiam tempore profitetur Moyſes Deum compreſſiſſe, ac tentâſſe populum ſuum, his verbis: *Et*
Deut. 8. *recordaberis cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per deſertum, vt affligeret te, atque tentaret.* Alio etiam loco grauitèr exprobrat Deus Hebræorum proteruiam:
Pſalmo. 94. *Quadraginta annis proximus fui generationi huic.*

Quadraginta dies præſcripſit Ionas Niniuitis ad pœnitentiam. Moyſes, Elias, & Sal-

uator quadragenario numero, ieiunia confecerunt, tanquam tribus temporibus, ante legem, ſub lege, ſub gratiâ, accommodata. De Moyſe habemus: *Ingreſſuſque Moyſes medium nebulæ aſcendit in montem, & fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Poſtquam ſummi Regis his diebus peripataſima ingreſſus eſt, & ad colloquium eius receptus, nihil vel cibi, vel potus ſumpſit. Sic inquit Rupertus: *Inopem hominis naturam ditauit* (Deus) *vt vſque ad quadrageſimum diem, non ſolum cibi, & potus, ſed & totius humanæ conditionis poſſet obliuiſci.* De Eliâ Scriptura loquitur: *Timuit ergo Elias, & abijt, quocunque eum ferebat voluntas.* Hoc eſt vagabatur, huc, atque illuc, non fugiens quidem mortem, ſed mortem à fœminâ Iezabel inferendam, ne illa gloriaretur contra Deum. Accepit ab Angelo panem ſubcinericium, & vas aquæ, vt iter perageret quadraginta dierum. Hoc prandium iure celebrant Patres, accommodum videlicet Eliæ, qui non deli-

Exodi 24.

3. Regum 19. verſ. 3.

Digitized by Google

ciaſ, ſed frugalitatem ſectabatur, vt propterea vocauerit ipſum Clemens Alexandrinus *Pulchrum frugalitatis exemplum*. Hiſtoria ieiunij Saluatoris ex Euangelio tritiſſima eſt. Patet igitur ex varijs Scripturæ exemplis, quæ congregant Hilarius, & Auguſtinus, numerum quadragenarium in myſterijs ſignificandis à Deo electum, & ſacratum fuiſſe. Quod ſpectat ad quadraginta horas ſepulturæ Chriſti, quibus Apoſtoli ob abſentiam Magiſtri animitùs & medullitùs indoluerunt; Illius loco Chriſtus exactè numerum quadraginta dierum impleuit, teſte Lucâ in Actis: *Per dies quadraginta apparens eis*, vt videlicet tot horarum abſentiam, dierum totidem præſentiâ compenſaret (vt notat Gloſſa) amoremque erga nos ſuum, tam diu hîc nobiſcum iam immortalis hærens declararet, & ſe, tametſi abſentem, tamen vſque ad conſummationem ſæculi, hoc eſt durationis mundi, quam quadragenarius numerus deſignat (vt obſeruat Beda) futurum nobiſcum teſtificaretur. De his

Clemens Alex. li. 3. Pædag. c. 7.

Hilar. Cano. 3. in Mat. Auguſt. Epiſt. 109.

Act. 1.

qua-

quadraginta diebus, ita Chryſologus: *Chriſtus quadraginta diebus reſidet, & remoratur in terris (& ſi dici fas eſt) Patris occurſum differt, Patris ſuſpendit amplexũ, donec totum ſe reuelet, & reformet ſua aſcenſionis in gloriam.* Ex his præmiſſis conſtat, quam piè in Chriſti Eccleſiâ vſurpetur, ad placandum Deum, horarum numerus quadragenarius qui pœnitentiæ accommodatus eſt. *Secundum* Quemadmodum ſepulturæ tempore *Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome, emerunt aromata, vt venientes vngerent Ieſum*, teſte Marco, Et cogitauerunt de honorando Chriſti Corpore, impenſis factis; vnde in commendationem illarum, ſic Gregorius: *Ei, quem viuentem dilexerant, etiam mortuo, humanitatis ſtudio obſequuntur.* Idem etiam *Sanctas Dominas* appellauit, quæ comites indiuiduæ ſecutæ ſunt Dominum Chriſtum. Beda *Sanctas Fœminas* vocat, quæ conſtantiſſimæ omnium, Chriſto adhæſerunt, & eum arctiſsimo amore

Chryſol. 8.

Marci 16.

Greg. Homil. 21. in Euangelia.

Beda in cap. 23. Lucæ.

Digitized by Google

dilexerunt. Hieronymus aſſerit, eas Angelico alloquio recreatas fuiſſe, diligentiâque prometuiſſe, vt Dominus eis obuiam veniret, & confirmat Euangeliſtæ verbis: *Et ecce* Matth. 28. *Ieſus occurrit illis dicens, auete.* Sic etiam orationis quadraginta horarum tempore, fideles de honorando Chriſti Corpore conſilium ineunt, & etiam de facto illud venerabundi adorant, quando cum apparatu, Sacramentum Euchariſtiæ proponitur honorandum. Sanè oratio ante Euchariſtiam potentiſsima eſt, ſi piè hæc res expendatur; Moyſes, vt oraret efficaciùs, aſſumpſit Dei virgam, & lapidem, in quo ſedebat. *Cras,* inquit, Exodi 17. *ego ſtabo in vertice collis habens virgam Dei in manu meâ.* Et paulò pòſt: *Sumentes igitur lapidem poſuerunt ſubter eum.* Quid quæſo Chriſtus, niſi virga virtutis Dei? *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion.* Ps. 109. Idem verò Chriſtus, & lapis eſt, ab hominibus reprobatus, qui factus eſt in caput anguli, iuxta illud: *Lapidem, quem* Ps. 117. *reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in*

caput

caput anguli. Eliſæus tenuit Eliæ pallium, & illo Iordanis aquas percuſsit, quæ diuiſæ non ſunt, & exclamans dixit: *Vbi eſt Deus Eliæ etiam nunc*? q. d. Cum eius pallium teneam, cur per illud eadem non fiunt, quæ dum Elias aderat, facta ſunt. Verbum patris quoque pallium induit, cum humanam naturam aſſumpſit, & *habitu*, vt ait Apoſtolus, *inuentus vt homo*. Induit, inquam, humanitatis pallium, & arctiſsimo vinculo vnionis hypoſtaticæ ſibi coniunxit, & nobis in hoc Sacramento reliquit. Cum itaque eo pallio mirabilia operatus eſt (illo vſus tanquam inſtrumento diuinitatis) cur piâ fiduciâ non expectemus orationum noſtrarum fructum, quas toto conatu in præſentiâ Euchariſtiæ effundimus? cum enim hoc Sacramentum in publicum producitur, id agimus, quod olim Iſrael, cum difficilem cum hoſte pugnam inire vellet, dixit: *Adferamus ad nos de Silo arcam fœderis Domini, & veniat in medium noſtri, vt ſaluet nos de manu inimicorum noſtrorum.*

4. Regum 2.

Philip. 2.

1. Regum 4.

Auguſtiſsimum illud Sacramentum,& nobis arca eſt, & Eliæ pallium, de quo ita philoſophatur Chryſoſtomus: *Quid igitur ſi vobis demonſtrauero quid aliud, quod illo multo maius omnes ſacris myſterijs imbuti recipimus? Elias nempè Meloten diſcipulo reliquit, filius autem Dei aſcendens ſuam nobis carnem dimiſit: Sed Elias quidem exutus, Chriſtus autem & nobis reliquit, & ipſam habens aſcendit: ne igitur animo concidamus, neque lamentemur, neq; temporum difficultatem timeamus: qui enim ſanguinem ſuum pro omnibus effundere non recuſauit, & carnem ſuam, & rurſus ipſum ſanguinem nobis communicauit, nihil pro ſalute noſtrâ recuſabit. Hac igitur ſpe fidentes ipſum continuò oremus, & precibus, & ſupplicationibus vacemus, & reliquæ virtutis cum omni diligentiâ curam habeamus, vt & inſtans fugiamus periculum, & futura aſſequamur bona, quibus nos omnes dignos cenſeri contingat, gratiâ &c.* His adſcribo aurea Cy-

Chryſoſt. Hom. 2. ad populum.

priani verba, de Cœnâ Domini: *In huius præſentiâ non ſuperuacuè mendicant lachrymæ veniam, nec vnquam patitur contriti cordis holocauſtum repulſam. Quoties te in conſpectu Domini, video ſuſpirantem, Spiritum Sanctum non dubito aſpirantem, cum intueor flentem, ſentio ignoſcentem.* Supereſt vt reſpondeamus obiectioni illorum, qui orationem ad certa tempora, vel horas aſtrictam aſſerunt ſuperſtitioſam. Non video, qui fieri poſsit, vt huic orandi modo, quis refragetur, niſi ſimul ipſi Scripturæ refragari velit. Conſiderandum itaque hoc loco: Chriſtiano nunquam deeſſe certas orandi cauſas, & vix ſupereſſe tempus aliquod, in quo tempeſtiuum non ſit, aut Deum pro beneficijs laudare, aut quę neceſſaria ſunt, petere; aut iræ Dei flagella deprecari: aut charitate vrgente, pro ſalute proximorum, apud communem Dominum intercedere. Attamen quamdiu in hoc mortali corpore militamus, nec poſsibile, nec commodum eſt, vt nihil aliud prorſus

Cyprianus de Cœna Domini.

agamus, aliquando dormiendum, comedendum, laborandum, &c. Hinc Prophetis & Apoſtolis æquum viſum eſt, certas horas orationibus deputare. In tempore itaque aut certis horis, vim non conſtituimus, ſed imitamur eos, qui certis temporibus Deum exorare ſtuduerunt. Talis fuit Daniel: *qui apertis feneſtris in cænaculo ſuo contra Hieruſalem tribus temporibus in die flectebat genua ſua, & adorabat.* Talis Dauid qui de ſe: *Veſpere, & mane, & meridie narrabo, & annuntiabo, & exaudiet vocem meam.* Item: *Septies in die laudem dixi tibi.* Baſilius, Monachorum de Eccleſiaſtico horarum penſo, & factum Dauidis allegat. *Quo*, inquit, *perpetua hæc nobis formula ſit Deum ſepties per ſingulas dierum conuerſiones laudibus celebrandi.* Et in Regulis fuſiùs diſputatis, reſponſione ad interrogationem 37. alium huius Pſalmi verſum citat: *Mediâ nocte ſurgebam ad confitendum tibi*, & docet in viciſsitudine, & varietate ſingularum horarum, & ſtudium

Danielis 6.

Pſa. 54.

Pſ. 118.

Baſilius Serm. 1. de inſtit.

Pſ. 118.

ipſum

ipſum (ſi torpedo, & tædium oboriatur) renouari, & ad attentionem inſtaurari. Fuit quondam tempus matutini, & veſpertini Sacrificij. De certis orandi temporibus apud Iudæos Magiſter Hiſtoriæ Scholaſticæ ſcribit, Iudæos orare ſolitos, horâ tertiâ, ſextâ, nonâ; quia lex data fuerit, horâ tertiâ; ſerpens erectus ſextâ; aqua de petrâ extracta; nonâ, & Eccleſiam (diuerſo licet reſpectu) id imitari, nam eædem horæ ab illâ vſurpantur, quia tertiâ datus eſt Spiritus Sanctus; ſextâ Chriſtus crucifixus, nonâ lanceâ percuſſus, vnde ſanguis exiuit, & aqua. Apoſtoli etiam teſte Clemente, ter in die conſtituerunt orationem Dominicam recitari, nunc etiam ter videlicet, mane, meridie, veſpere, orandi ſignum, populo Chriſtiano dari ſolet.

Exodi 29.

lib. 7. conſtit. c. 25.

CAPVT XV.

De Oratione, pro Summo Pontifice.

NOn eſt hoc loco ſilentio prætereundum, quam ſancto conſilio Summi Eccleſiæ Paſtores, pro ſalutari Eccleſiæ Catholicæ regimine, præſertim initio Pontificatus, preces fieri ſanciant. Vti vidêmus actitatum à S. D. N. Vrbano Octauo in Indictione Quadraginta Horarum. Quâ in re duo conſideranda ſunt. *Primum:* Ardua ſemper negotia ab oratione inchoata. Nobilis illa fœmina Iudith mirabile opus aggreſſura, vt ex animi ſententiâ ſuccederet, nil aliud quam orationem, à ſuis Ciuibus
Iudith 8. poſtulauit. *Vſque dum renuntiem vobis*, inquit, *nihil aliud fiat quam oratio pro me ad Dominum*. Eſther quoque populum ſuum, cum impendenti necis periculo, vellet eripere, hæc Mardochæo verba mandauit.
Eſther 4. *Vade & congrega omnes Iudæos, quos in Suſan repereris, & orate pro me. Non*

come-

comedatis & non bibatis tribus diebus & tribus noctibus, & ego cum ancillis meis ſimiliter ieiunabo &c. Chriſtus etiam Dominus, cuius actio, noſtra inſtructio eſt electurus Apoſtolos, orando noctem duxit inſomnem. *Erat*, inquit Scriptura, *pernoctans in oratione Dei. Quid te facere*, inquit Ambroſius, *conuenit cum vis aliquod pietatis officium adoriri, quando Chriſtus miſſurus Apoſtolos orauit prius, & ſolus orauit.* Apoſtoli etiam ſegregaturi aliquem, in locum Iudæ, ieiunium, & orationem indicunt. Quare mirum non eſt, ſi adminiſtrationis Eccleſiæ (quæ tanti momenti res eſt) Summi Pontifices ab oratione, capiant exordium. Nos quidem ſemper aliorum precatu indigemus, ſed tum inprimis cum magnum, & arduum quidpiam molimur, cui noſtra, facilè ſuccumbere poteſt infirmitas. Ipſum electionis vas D. Paulus: *Obſecro vos* inquit, *fratres, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, & per charitatem Sancti Spiritus, vt adiuuetis me in ora-*

Lucæ 6.

Act. 1.

Rom. 15.

tionibus

Digitized by Google

tionibus pro me ad Deum. In Catholicâ
Rom. 12. Eccleſiâ: *Multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem noſtrum alter alterius membra.*
1. Cor. 12. *Non poteſt autem oculus dicere manui, opera tua non indigeo, aut iterum caput pedibus, non eſtis mihi neceſſarij.*
Iacob. c. 5. Ideóque & S. Iacobus: *Orate pro inuicem, vt ſaluemini*. Laudabile ſanè eſt, illud demiſſionis, & pœnitentiæ ſymbolum pijs viris vſitatum, *Ora pro nobis*. Quod riſu his temporibus à multis excipitur, qui omnia pietatis officia temerè vertunt in ludibrium. *Secundùm*, De perſonâ Succeſſorum Petri, quorum eadem poteſtas cum eâ, quam ille habuit, in fidelibus videlicet gubernandis, & coërcendis. Quamquam de poteſtatiuo primatu Petri, & Succeſſorum eius, ex profeſſo agere hoc loco nobis propoſitum non ſit, monendi tamen ſunt hîc fideles, vt penitiùs introſpiciant, quam ſollicitè pro Summis Pontificibus ſit orandum.
Ioann. 21. Chriſtus enim Petro dixit: *Paſce oues meas*, & manifeſtè continuari voluit per

ſequen-

ſequentes Pontifices, ſucceſſionem huius Principatus, nam *Oues meas* abſolutè dixit, videlicet quæ tunc erant, & futuras. Clarum eſt autem Petrum futuras, per ſæcula conſequentia, non potuiſſe, per ſe paſcere. *Paſce*, ergo dixit Petro, non quatenus perſona quædam particularis erat, ſed quatenus in ſeipſo omnes futuros Pontifices continebat. Videte, quam intenta fuerit pro Petro oratio primorum fidelium. *Oratio autem fiebat*, inquit Lucas, *ſine intermiſſione ab Eccleſiâ ad Deum pro eo*. Recens nata orationi incumbit pro Petro Eccleſia, ita quidem, vt nunquam aliàs, pro alio, quod quidem legatur expreſſum. Adeò Petrum amabant omnes, ac æſtimabant, eiuſque primatum venerabantur, vt non breui oratione, pro illo defungi vellent, ſed ſine intermiſſione orarent. Continua, & longa inſtituta eſt oratio, vt ad impetrandum foret efficacior, nec à deſiderio ſuo fraudati ſunt. Attendite etiam, quàm crebrò pro *Domno Apoſtolico* Eccleſia, dum officia ſua diuina

Act. 12.

celebrat, conſueuerit deprecari. 1. In Canone Miſſæ: *Vna cum famulo tuo Papa noſtro N.* 2. In Paraſceue, cum pro omnium hominum gradibus oratur: *Omnipotens ſempiterne Deus, cuius iudicio vniuerſa fundantur, reſpice propitius ad preces noſtras, & electum nobis Antiſtitem, tuâ pietate conſerua, vt Chriſtiana plebs, quæ te gubernatur Authore, ſub tantò Pontifice, crudelitatis ſuæ meritis augeatur.* 3. In benedictione Cerei Paſchalis: *Precamur ergo te Domine, vt nos famulos tuos omnemq; clerum, & deuotiſſimum populum vna cum Papâ noſtro N. &c.* 4. In Miſſis Dominicâ ſecundâ poſt Epiphaniam: *Deus omnium fidelium Paſtor & Rector, famulum tuum N. quem Paſtorem Eccleſiæ tuæ praeſſe voluiſti, propitius reſpice, da ei quæſumus verbo & exemplo, quibus præeſt proficere, vt ad vitam, vna cum grege ſibi credito, perueniat ſempiternam.* 5. In Litanijs: *Vt Domnum Apoſtolicum, & omnes Eccleſiaſticos ordines*

in ſanctâ Religione conſeruare digneris. Te rogamus &c. 6. Inter Orationes ſubſequentes: *Omnipotens ſempiterne Deus, miſerere famulo tuo Pontifici noſtro N. & dirige eum ſecundum tuam clementiam in vitam ſalutis æternæ, vt te donante tibi placita cupiat, & totâ virtute perficiat.* Sanè ex prædictis, quilibet S. Matris Eccleſiæ pius filius, etiam in particulari piè traxerit documentum, ſæpiùs, pro ſalubri Pontificum regimine, Deum interpellandi.

CAPVT XVI.

Aduersùs Errores præpoſterè de tribulationibus ſentientium.

HActenus de calamitatibus, pro quibus auertendis promiſcuus cœtus Cleri, & populi, indictis publicis precibus, conuenire ſolet. Nunc differendum, de ijs, in quibus multi hallucinantur, cum errore populari, illa examinant, quæ circa tribulationes, ex mente Spiritus Sancti, in Scrip-

turis, & Sanctorum Patrum doctrinâ, expendenda ſunt. Inprimis mirantur multi, cur tot & tantæ tribulationes hominibus ſuppetant, & vnde oriantur, at ſi rem diligenter examines, mirum non videbitur, tot mala, & incommoda, in hac vitâ nos experiri. 1. In corpore & animo noſtro, naturalis eſt compugnantia. 2. In ratione ac ſenſu. 3. In ipſis elementis, ex quibus conſtat corpus. 4. Iam inde ab initio mortales indictæ

Gen. 3. ſunt inimicitiæ: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius, ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius.* 5. Aduerſarius

1. Per 5. noſter diabolus *tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.*

Matt. 7. 6. *Inimici hominis domeſtici eius.*

Sap. 14. 7. *Creaturæ Dei in odium factæ ſunt, in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium.* 8. Turbantur pij, & timentes Deum, vti Dauid, qui de ſe teſtatur:

Pſalm. 118. *Vidi præuaricantes, & tabeſcebam. Contabeſcit pius*, inquit Auguſtinus, *præ triſti-*

August. Ep. 145.

tiâ,

tiâ, & beatâ quadam miſeriâ, etiamſi nihil aliud, intrinſecus toleret. 9. Ab externis, & ignotis, perpetuò timendum, ijs nempè, quorum longè maior apud homines numerus, qui pietatem, virtutemque oderunt, & inſectantur. Poſtremò, legis Euangelicæ conditio eſt: In ipſo primo ingreſſu, planè, ac clarè, denuntiare rerum arduarum tolerantiam, non polliceri ſuauia, non proponere blanda, imò quò quis iuſtior, hoc tribulationibus locupletior. *Multæ tribulationes iuſtorum*. Sunt alij, qui delectum faciunt inter calamitates, quaſi has, non autem illas, queant tolerare, verùm non hæ, non illæ, ſed quælibet nobis ſufferendæ ſunt. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*. Non eſt dictum per has, aut illas, ſed indefinitè per multas. Rectè proinde Dorotheus (ad fratrem tentationibus oppreſſum) præcepit, vt quæcumque incidunt, fortitèr, libentèrque, & gratè ſufferamus abſque exceptione, ſine delectu. Permittamus Deo, ſi ac-

Pſal. 33.

Act. 14.

Doroth. ad fratrem tentationis oppreſſum.

cepti eſſe volumus (nec enim aliter poſſumus) vt tentatione probet nos, & demùm quamuis multas, graues, ac diuturnas patiamur. *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*. Hoc qui non perpendit, ſimilis efficitur illis, de quibus Propheta: *Facies omnium quaſi nigredo ollæ.* Olla igni admota, natiuum calorem deperdit, & tota nigreſcit, at aurum, vel argentum, igne exercitum, puriùs nitet, ita multi tentationibus atri redduntur, & fœdi; iuſti verò pulchriores, perioreſque euadunt. Multi non adhærent Deo, propter ipſum, ſed quia *ſaturantur panibus*, & quamdiu benefacit. *Confitebitur tibi cum benefeceris ei*. In quibus verbis, Dauid per modum Apoſtrophes, & orationis ad Deum ſe conuertit, q. d. Impius confitebitur tibi, ô Deus, quamdiu beneficijs afficies, benedicet, & laudatione proſequetur, quamdiu cuncta, ex animi ſententia, ſuccedent; túque, muneribus tuis externis, eum cumulabis, alioquin blaſ-

2. Cor. 4.

Nahum 2.

Ioan. 6.

Pſ. 48.

phema-

phemabit, maledicet, nec tibi parcet, ſi lucri ceſſet ſpes, quin deſerat & calumnietur. Multos videas Chriſtianos, tunc Deo gratias agere, quando illis accidit lucrum, ſi patiantur damnum, blaſphemare. Aliter ille inſtructus dixit. *Benedicam Dominum in omni tempore.* Psal. 33. Eruditè Baſilius & Ambroſius notant, Iob ſpoliatum rebus ſuis, vt refelleretur calumnia diaboli, quod is non gratis coleret Deum. Quod verè in quibuſdam locum habet, qui dum tribulationis ventus inſurgit, titubant, franguntur, & in tempore tentationis recedunt. Inquirere cauſas tribulationum ſalutare conſilium. Tribulatæ mentis ingenium eſt, noſſe velle, cur flagelletur, & ſingulare ſibi reſponſum, hac de re exoptat: *Afflicti cordis*, inquit Gregorius, *eſt proprium, vt omne quod appetit, & tamen rerum ordinem contrarium ſentit ſi fieri poßit, cur ita, vel non ita ſit, diuinis ſibi reſponderi vocibus velit, vt Deum, de cunctâ rerum controuerſiâ conſulat, & reſponſionis eius cognitâ* Gregor. lib. 23. Moral. c. 18.

ratione

ratione conquieſcat, verum, ſemel loquitur Deus, inquit Iob, *& ſecundo id ipſum, non repetit*, hoc eſt, vt Gregorius ibidem explicat: Sacram Scripturam condidit, *vt in eâ vel publicis, vel occultis cunctorum quæſtionibus reſponderet*. Et paucis interiectis: *Deus ſingulorum cordibus priuatis vocibus non reſpondet, ſed tale eloquium conſtruit, per quod cunctorum quæſtionibus ſatisfacit*. Hîc à multis peccatur, qui tribulationum cauſas, in Scripturis, non requirunt, proinde nec veras inueniunt, ſed ad nugas ſe conuertunt. Inueniuntur fatui, qui ærumnarum cauſas, Planetis, & varijs eorum, ac aliarum ſtellarum coniunctionibus, in varijs ſignis aſſcribunt. Sunt & Genetliaci, qui ex horoſcopis natiuitatum, vana, & ridicula effutiunt, contra hos, vſurpandus eſt verſus Pſalmi: *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, ſed non vt lex tua*. Dicant, quis Planeta tempore diluuij regnauerit, quando *cataractæ cœli apertæ ſunt*? Quis præterea tempore Dauidis,

Pſalm. 118.

quan-

quando facta eſt fames, *tribus annis iugiter*? Quis tandem tempore Eliæ? Agnoſce veriſsimam cauſam, quæ à Deo, & Scripturis, habet teſtimonium: *Repleta eſt*, inquit Moyſes, *terra iniquitate*. Cauſa ergo diluuij fuit Planeta peccati, & mandatorum Dei præuaricatio. Planeta, qui tempore Dauidis effecit famem, Saulis crudelitas fuit. *Conſuluit Dauid oraculum Domini*, (ſuper immiſsâ fame) *dixitq́ Dominus: Propter Saul, & domum eius ſanguinum, quia occidit Gaboanitas*. Planeta, qui ſiccitatem effecit tempore Eliæ, fuit peccatum Achab: *Venit Achab in occurſum Eliæ, & cum vidiſſet eum ait: Tune es ille qui conturbas Iſrael? & ille ait: Non ego turbaui Iſrael, ſed tu, & domus Patris tui, qui dereliquiſtis mandata Domini, & ſecuti eſtis Baalim*. Fateamur igitur, Planetam, qui nos conturbat, eſſe peccatum, & cauſam, ſeu occaſionem tribulationum, à Deo illatarum. Errant proinde, qui calamitatum cauſas conijciunt, in cauſas naturales, cum eas ira-

Gen. 8.

2. Reg. 21.

3. Reg. 18.

Digitized by Google

tus immittat Deus. Tempore Haggæi Prophetæ, multi videbant ſterilitatem, & inopiam ſuam, ſed tantùm in cœlum, & aërem reijciebant, quaſi non eſſet vlla cauſa ſuperior, quæ inferiores, pro ſuo arbitrio, moueret, & regeret. Hos ſeriò admonuit Propheta: *Ponite corda veſtra ſuper vias veſtras.* Cur autem admonuerit, ſtatim indicat. *Seminaſtis multum, & intuliſtis parum.* q. d. Attendite, quæ cauſa ſit, cur meſſis, pro voto, vobis non obtigerit; multa patimini, quæ vitare ſæpè poſſetis, ſi opera veſtra cogitaretis. Videas etiam multos, hoc tempore, qui mala ſua, ſiue (vt ipſi loquuntur) infortunia deplorent, & cauſas quærunt, nec vnquam inueniunt, quia non ponunt corda ſua ſuper vias ſuas. Egent, ſterilem eſſe annum cauſantur: repulſam patiuntur ab honoribus, abalienatos à ſe aliorum animos, cauſam eſſe dicunt, ambitus, prenſationes aduerſariorum. Moritur filius, aut vxor, morbos, & inſcitias medicorum accuſant: moriuntur pecora, & iumenta, de

Hagg. c. 2.

coeli

cœli conqueruntur inclementiâ. At ſi cogitarent, nihil præter Dei voluntatem, ne in minimis quidem, fieri, curæ illi eſſe omnia, & in mores ſuos, atque vitæ conditionem, oculos conijcerent, facilè cernerent, ſe propter peccata ſua puniri, & dicerent cum fratribus Ioſeph: *Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem noſtrum*. Vtilis & laudabilis eſt ſollicitudo, inquirere in cauſas tribulationum, vt ſi peccata in cauſa fuerint, emendentur, ac adeò malorum radices præſcindantur. Quod Chryſoſtomus vocat, *abſolutam medendi artem*. Nimirum conſummati Medici, non ſatis habent, emergentia in cutem curare vlcera, quoniam, illis amotis, alia repullulant, ſed occultas eorum cauſas rimantur, vt, ab ipſo capite, perfecta fiat malorum auulſio. Hinc apparet, cur Pharao nunquam ſanatus fuerit, quia ſolùm plagarum erumpentium dolores auertere curabat, non ipſam plagarum radicem, cor induratum. Deo igitur iuſtè condemnante noſtram conniuentiam, & ſupi-

Gen. 42.

Chryſoſt. Hom. 5. de pœnitentia.

Digitized by Google

num torporem, caput malorum eſt, quod in ipſas eorum cauſas, non inquiramus. *Quod ſi noſmetipſos diiudicaremus*, inquit Apoſtolus, *non vtique iudicaremur*. Docemur itaque, cum malis affligimur, malorum cauſas, Deo adiuuante perſcrutari, ſicut fecit Gedeon, ita locutus cum Angelo: *Cur apprehenderunt nos hæc mala?* Deum cum populo Iſraelitico eſſe non ignorabat, ſed cauſam petijt, cur illum non protegeret, & fœlicitaret. Conuenit ferè cum Pſalmo: *Deus auribus noſtris audiuimus, Patres noſtri annuntiauerunt nobis. Opus, quod operatus es in nobis, in diebus antiquis, &c. Nunc autem repuliſti nos, & confudiſti nos, & non egredieris Deus, in virtutibus noſtris.* Quid ad Gedeonis interrogationem Angelus? Templum Baal, & lucum vaſtari iubet, & quaſi digito commonſtrat ipſam calamitatum radicem, idololatriam. Quid deinde Gedeon? ſimul ac, quid ſui eſſet officij, didiciſſet, aram Baal deſtruxit, altare Deo ædificauit. Porrò inueni-

1 Cor. 11.

Iudicum 6.

Pſal. 43.

untur,

Digitized by Google

untur, qui circa tribulationum cauſas non errant, & in anguſtijs ad opera pœnitentiæ, & orationem confugiunt, ſed in ærumnis, cum Deo, tanquam cum homine agunt, ſi non ſtatim impetrent, quod volunt, indignantur, queruntur, aut nimium ab orationis contentione reſiliunt, immemores illius; *Oportet ſemper orare, & non deficere.* Luc. 18.
Citò dans, inquiunt, bis dare cenſetur, nihil æquè amarum, quam diu pendêre, æquiori animo ferrem, præſcidi ſpem meam, quam trahi, tantum gratię demitur, quantum moræ adijcitur. Reſpondeo: Deus cum ſerò dat, pluries dat, quia oranti aſſiduè, dat auxilium gratię, ad idipſum faciendum, vnde reſultant merita, quæ poſſunt pluris referre, quam res, quæ in oratione poſtulatur, non poteſt gratiæ Author Deus, nimis tardè gratiam conferre, qui vltrò offert, & ſupplicum præuenit vota, cordiſque præparationem ipſam audit. Dum igitur petimus ab eo, vt poſtulata concedat ſimul rogemus, vt quæ ſibi ſunt placita, faciat nos poſtulare.

CAPVT XVII.

Cur communis Calamitas inuoluat etiam bonos?

MIrantur plurimi, cur boni, qui Deo curæ ſunt, & à communibus periculis mirabiliter ſubinde erepti, ſæpenumerò cum malis crucientur, cum non commiſerint illa, pro quibus pœnæ malis infligun- tur. Cauſas aſſignat Auguſtinus, nec paruas eſſe arbitratur, ob quas nonnunquam boni cum malis, miſerijs ſubiaceant: *Plerumq; ab ijs docendis, admonendis, aliquando etiam obiurgandis, & corripiendis malè diſsimulatur: vel cum laboris piget: vel cum os eorum coram verecundamur offendere: vel cum eorum inimicitias deuitamus ne impediant, aut noceant in iſtis temporalibus rebus, ſiue quas adipiſci adhuc appetit noſtra cupiditas, ſiue quas amittere formidat infirmitas, ita vt quamuis bonis, vita malorum diſpliceat, & ideò*

Aug. l. 1. de Ciuit. c. 9.

cum

cum illis non incidant in illam damnationem, quæ poſt hanc vitam, talibus præparatur, tamen quia propter ea peccatis eorum damnabilibus parcunt —— iure cum ijs temporaliter flagellātur. His verbis tres cauſas exprimit Sanctus Doctor, 1. quia labori parcunt, 2. propter verecundiam, vbi enim labor non requiritur, verecundia ſæpè homines retrahit. 3. Propter cupiditatem, quos enim nec labor, nec verecundia retrahit, impedit cupiditas, cum videlicet inimicitias deuitamus, eorum, qui nobis in temporalibus poſſent nocere. His itaque poſitis, *Iure*, inquit ibidem, *iſtam vitam, quando diuinitus affliguntur cum ijs* (boni cum malis) *amaram ſentiunt, cuius amando dulcedinem, peccantibus ijs, amari eſſe noluerunt*. Sed quid de bonis ſentiendum, qui non diſſimulant, nec in eâ impingunt, de quibus ſupra Auguſtinus? inter hos, & malos non apparet diſtinctio. Reſpondeo: Talibus tribulatio non plaga, punitio, aut pœna eſt, ſed aliud quiddam. *Aduerſitas*, in-

Digitized by Google

Greg. li. 7. Epiſtolarum. Epiſt. 126. quit Gregorius, *quæ bonis viris obijcitur probatio virtutis eſt*. Alio ſanè fine, boni inuoluuntur malis, & aliter in ijs ſe gerunt. Aug. li. 1. de Ciuit. c. 8. *Quicunque*, ait Auguſtinus, *boni, maliq́ue pariter afflicti ſunt, non ideò ipſi diſtincti ſunt, quia diſtinctum non eſt, quod vtrique perpeſſi ſunt, manet enim diſsimilitudo paſſorum, etiam in ſimilitudine paſsionum. Et licet ſub eodem tormento, non eſt idem, virtus & vitium. Illa temporalia bona, & mala vtriſque voluit eſſe communia.* (Notat eodem capite idem Author.) *Vt nec bona cupidius appetantur, quæ mali quoque habere cernuntur, nec mala turpiter euitentur, quibus & boni plerumque afficiuntur.* Aliam quoque adfert rationem: *Habent aliam cauſam boni, quare temporalibus affligantur malis, qualem habuit Iob, vt ſibi ipſi humanus animus ſit probatus, & cognitus, quantâ virtute pietatis, gratis Deum diligat.* Nec tantum Deus bonos cum malis conturbari permittit, vt meliores fiant, & ſibi probati exiſtant, ſed

Digitized by Google

vt alijs etiam fiant manifeſti,& maiorem inter fideles famam acquirant, quantò enim nox obſcurior, tantò pulchrior apparet ſtella, ſic per ſingula ſæcula, ſicut ſtellæ micantes inter mala & aduerſa, reperti ſunt; quorum gloria, & famæ ſplendor inter noctes tribulationum radiauit. Vnguenta mota latius odorem diffundunt,& aromata incenſa fragrantiam ſuam expandunt. *Tantum intereſt* (ait loco ſupra allegato Auguſtinus) *non qualia,ſed qualis patiatur, nam pari motu exagitatum, & exhalat horribiliter cœnum, & ſuauiter fragrat vnguentum*. Poteſt hæc doctrina, aliquot popularibus ſimilitudinibus explicari: 1. Faber ferrarius carbones aſpergit aquâ, vt vehementius inflammentur, & clarius ardeant; ſic Deus charitate inflammatos, aquâ tribulationis aſpergit, vt plùs inflammeſcant. 2. Faber flatu follium ignem premit, inde tamen maior exſurgit, ſic piorum deſideria, dum aduerſitate premuntur, proficiunt, ſicut ignis flatu premitur, vnde creſ-

cat, & vnde quaſi extingui videtur, inde roboratur, vt ait Gregorius, Faber clauum pluribus ictibus incutit, vt ligno fortius inſigatur, ſic Deus bonos, malleo tribulationis percutit, vt ligno Crucis, & Crucifixo fortiùs adhæreant, cum illis, in quorum perſonâ loquitur Apoſtolus. *Quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? &c.* Rex generoſum diligit Militem, non tamen ei parcit, ſed ad difficilia, & laborioſa ſtratagemata emittit, vt inde famam, mercedem, & victoriam reportet glorioſiorem. Deſine igitur mirari, ſi boni cum malis communes experiantur calamitates.

Rom. 8.

CAPVT XVIII.

De Arte Orandi, cum inſurgit calamitas, vel tentatio.

CVm quouis modo orare non ſufficiat, ſed ex arte orandum ſit; ars tamen iſta (ſi Auguſtino credimus) faciliùs praxi diſ-

citur (ſicut fabricando fabri fimus) & meliùs vſu, quam per regulas. Nihilominus non incongruum fuerit, aliqua ex Scripturis & Patribus adferre documenta, quibus dirigamur, & manu ducamur in hac praxi, quæ omnes concernit. *Orare enim omnium eſt*, eleemoſynam dare eorum tantũ eſt, quibus facultas ſuppetit, ſed neque omnibus datur poſſe ieiunare, vnde fit non omnes ad illud obligari. Poteſt etiam quis dicere: Non poſſum vigilare, ſed nunquid poteſt dicere: Non poſſum diligere, non poſſum orare?

Primò itaque notandum: oraturis multa occurrere obſtacula, ac proinde eos indigere peculiari Spiritus Sancti auxilio. Hinc Eccleſia, initio Matutinarum precum, ad implorandam Dei opem, huius verſiculi recitationem vſurpat: *Domine labia mea aperies*. Vbi verbum *aperies* optatiui, vel imperatiui vim habet. Refert autem Genebrardus: Veteres Iudæos decreuiſſe, vt in cuiuſcunque precationis exordio, verſus iſte *Pſa. 50.*

commemoraretur, tum quia commodus eſt ad mentis pręparationem impetrandam, tum quia incipit ab *Adonai*, quo nomine primus Abraham vocauit Altiſſimum in oratione: *Domine Deus quid dabis mihi?* Argumentatur hinc gratię neceſſitatem Auguſtinus. 2. Vnde in illa verba: *Hominis eſt animam præparare, & Domini gubernare linguam*. Elegantèr hîc Ianſenius: Vt licet in poteſtate hominis ſit, per gratiam excitati, & præuenti, cogitare, ac meditari piè, quid loquatur, tamen vt id eloqui benè valeat, egere nouo auxilio gratiæ, quo Deus linguam gubernet, atque moderetur. Eſt præterea orationi perneceſſarium gratiæ auxilium, cum ſit res adeò ardua, vt ſit quædam quaſi pugna cum diabolo, qui orationi maximè inſidiatur. Teſte Climacho, Quis vnquam recenſeat, vafram hac in parte dæmonis malitiam, & aſtutos conatus, quibus contendit, ſanctum orationis exercitium conturbare, & eliminare? Non deſunt innumera exempla, ex quibus conſtat, quâ

Gen. 15. Auguſt. contra duas Ep. Pel. c. 8. Prouerb 16. nu. 1.

Climachus gradu 28.

ratio-

ratione, vt orantes, aut deterreret, aut diſtraheret, ſeſe transformauerit. Ioanni breui, in formâ ſerpentis apparuit. S. Macharius ſalutaria ad piè orandum monita fratribus præſcribens, vidit Dæmones ſub forma paruulorum Æthiopum. Dominicum orantem lapidibus impetebat Satan. Precante Anthonio, campanulam pulſabat. Tali modo, orandi ſtudium, pari ſæuitiâ, quâ calliditate impugnat. Nec ſolum cum Dæmone nobis pugna, ſed & cum Deo ipſo. Hinc Agathon, de certamine orantis diſſerens, inculcat orantem duram aggredi prouinciam, vincendi ſcilicet inuincibilem, & vinciendi Omnipotentem. Huius rei typus in colluctatione Iacob cum Angelo, qui Deum repræſentabat, expreſſus eſt. Nam licet ille benedictiones obtinuerit, ex percuſſo tamen neruo claudicauit, ita quamuis animus inter orandum, benedictionibus augeatur, remanet tamen carnis quaſi claudicatio, infirmitas, atque debilitas. *Gen. 32.*

Secundò, Inter ea quæ petenda ſunt, diſ-

crimen ſtatuendum eſt; inter bona ſcilicet temporalia & ſpiritualia. Docent magno conſenſu Theologi ſpiritualia, vt ſunt, ſpes, fides, charitas, remiſſio peccatorum, ſalus animarum, patientia in aduerſis, perſeuerantia in amore & timore Dei, & cætera, ſine quibus ſaluari non poſſumus, peti poſſe, & debere ſine vllâ conditione, bona verò temporalia poſtulanda cum iſtâ conditione, ſi nobis proſint; ac proinde voluntatem noſtram in talibus diuinæ voluntati perpetuò ſubijciendam eſſe. hoc exemplo docuit Saluator, qui cum in grauioribus Paſſionis ſuæ doloribus conſtitutus eſſet, & vehementes mortis cogitationes, ac dolores eum ſic adorirentur, vt ſanguineum ſudorem ab eo exprimerent, paululum à ſuis digreſſus, demiſſus pronus in terram, Patri ſupplicauit. *Poſitis*, ait Euangeliſta, *genibus orabat dicens: Pater ſi vis transfer calicem iſtum à me, veruntamen non mea voluntas, ſed tua fiat*. Varia etiam præter ea, quæ ſpiritualia ſunt, Sancti poſtulârunt. Ezechias, obſidio-

Luca 22.

nem

nem ſolui, ſanitatem ſibi reſtitui, vitamque prorogari. Daniel, ſolui captiuitatem Babylonicam. Tres pueri, eripi de camino. Suſanna, de infami ſupplicio. Ionas, de ventre cœti. Tobias, à cœcitate. Anna, de improperio. Dauid, de manibus Saulis. Ex quibus aduertendum, non eſſe vllo pacto, à verâ pietate alienum, pro publicis aut priuatis etiam rebus, ac neceſſitatibus precibus apud Deum agere, dummodo expreſſa vel tacita conditio, de quâ ſupra, adijciatur; & orationi ſemper admiſceatur noſtrę voluntatis in Deum reſignatio. Refertur celebris illa mendici cuiuſdam vel Hiſtoria, vel Parabola qui doctiſſimo cuidam Viro dicebat: Summæ trãquillitatis viam eſſe, hoc vnum in votis ſemper habere, vt Dei voluntas fiat, adeòque ſibi etiamſi in pluuijs, & frigoribus, interdum pernoctaret, ſæpè fameret, ſtipiſque nihil acciperet, aduerſi tamen, & moleſti nihil eſſe, quia ſemper illud animo agitaret: *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terrâ.*

Tertiò, Cauendum eſt, ne vnquam Deo,

quo

quo ad temporis durationem leges præſcribantur. Grauiter prudentiſsima Iudith Bethulienſes Principes arguit, quod exacto quinto die tradituri eſſent ciuitatem, caſu quo, ſubſidium & ſolatium non experirentur: *Qui eſtis*, inquit, *vos qui tentatis Dominum? non eſt iſte ſermo qui miſericordiam prouocet, ſed potius qui iram excitet, & furorem accendat. Poſuiſtis vos tempus miſerationis Domini, & in arbitrium veſtrum, diem conſtituiſtis ei.* Fuit iſta Dei tentatio, quia non petierunt, eo & modo, & tempore iuuari, quo Dei ſapientiæ, & bonitati videretur, ſed quaſi Deo ipſo, ſapientiores & meliores eſſent, certum ei tempus, intra quod auxilietur, vt orbem circumſcribunt. Explorare volunt, quæ Dei hîc ſit ſapientia, & bonitas, atque hoc eſt quod totâ oratione ſuâ, prudenter reprehendit Iudith, ideòque ita hunc in locum Rabanus: *Iniuſtum iudicauit* (Iudith) *Domino miſerationis ſuæ tempus conſtituere, cum ille ſolus præ omnibus nôrit & tempus, & modum*

Iudith 8.

miſe-

miſerationis ſuæ, & propterea non licet cuipiam aliter pro re aliquâ Dominum poſtulare, ſed magis ad arbitrium cuncta referre. Sic legitur Quidam Patrum in oratione tantùm dixiſſe: *Fili Dei, ſicut vis, & ſicut ſcis, miſerere mei.*

Quartò, Oraturus ſibi ſacras Hiſtorias & exempla proponat, vnde ingens in confirmando pectore vtilitas. De quâ S. Paſchaſius (cuius miracula ſcribit Gregorius) Epiſtolâ ad Eugipium: *Quantum*, ait, *geſta Sanctorum vtilitatis impertiant, quantum feruoris attribuant, quantum puritatis infundant, de hac re Apoſtolicæ vocis authoritas latius innoteſcens, forma, inquit, facti gregis. Et Beatus Paulus Timotheo præcepit, formam eſſe fidelibus. Vnde iam Apoſtolus iuſtorum Catalogum, ſummâ breuitate contexens, ab Abel incipiens, inſignium virorum pergit narrare virtutes. Sic & ille fideliſſimus Mathathias morti glorioſiſſimæ iam propinquans, filijs ſuis hæreditario iure exempla diſtribuit.* Non

Paſchaſius. Ep. ad Eugipium.

1. Machab. 2. habuit ille Machabeæ gentis Author aptius argumentum, quam vt reſpicerent Maiores, qui eandem ſuo exemplo, viam triuiſſent. Neque ſufficit, vt mente, & cogitatione inter orandum iſta reuoluantur, ſed illi qui aliquâ in populo authoritate pollent, ſatagant, vt in rerum aſperitatibus, bonis & accommodatis rationibus, & orationibus atque cohortationibus populum alleuent, & corroborent. Optimè profectò Epiſcopis, Paſtoribus, & Concionatoribus omnibus inculcaretur illud S. Iudith: *Et nunc fratres, quoniam eſtis, Presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet ſalus illorum, ad eloquium veſtrum corda eorum erigite.* Quâ autem ratione id fieri debeat, in ſuâ pluſquam virili concione, expreſſit: *Memores eſſe debent, quomodo Pater noſter Abraham tentatus, & per multas tribulationes probatus Dei amicus effectus eſt.*

Iudith 8.

Quintò, Mirum in modum ad feruentius orandum, cum publicæ calamitates inſurgunt, & non ſolùm ſtatus Reipub. ſed &

fidei, ac Religionis Catholicæ profeſſio, exercitiumque, in diſcrimen adducitur, animam ſuam dialogiſmo, ſeu ſoliloquio excitare, & inflammare ad placandum Deum. Talis cum animâ locutio, Hebræis fuit familiaris. Huius rei exemplum habemus apud Pſalmiſtam: *Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me?* Et alio loco: *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me ſunt nomini ſancto eius.* Quibus verbis, per modum ſoliloquij procedit Dauid, animamque ſuam compellat, per quandam proſopopeiam, vt obſeruat Clemens Alexandrinus, quaſi vna perſona loquatur alteri. Non deſunt qui ſupra modum ob anguſtias, & moleſtias contriſtantur, & ſuam dialogiſmo etiam animam conueniunt: Quid facis, dum vndiq; nos mala cingunt? Verùm hyemali glaciei ſimiles effecti frigidi remanent, & Chriſtiani hominis deſerunt officium, quod Propheta digito quaſi demonſtrat, dicens: *Tribulationem & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui.*

Pſa. 41. *Pſ. 102.*

Clemens Alexandrin lib. 3. Stromatum.

Pſa. 114

Multi orationem negligunt, qui perinde faciunt, atq; ij, qui in medijs fluctibus funem proiectum abijciunt, & pugnare cum ſæuiente tempeſtate malunt, quam funem apprehendere, quo in nauem pertrahantur.

Sextò, Seriò expendendum, ab orationis feruore obtorpendum non eſſe, ſi inter orandum aliquid imperfectionis admiſceri videatur, nam ſæpè Sanctos homines perturbatis animis, acceſſiſſe ad Deum orandi affectu, precibuſque miſcuiſſe plurima, quæ humanam imbecillitatem reſiperent, ex Scripturis conſtat. Deus tamen incredibili erga nos beneuolentiâ diſſimulans, & remittens, eorum orationes gratas & acceptas habuit. In animi ſui impetu orauit Moyſes, vt magis imperare quam ſupplicare videatur:

Exodi 32. Aut *dimitte eis noxam hanc: aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.* Et inter precandum conquerebatur Elias: *Domine*

3. Reg. 17. *mine Deus meus etiamne viduam apud quam ego vtcumque ſuſtentor, afflixiſti, vt interficeres filium eius?* Marthæ & Mariæ

Soro-

Sororum etiam queribundas preces indicat Euangeliſta: *Domine ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus*. Attamen Deus pluſquam paternâ indulgentiâ cum, homine agit, vt quantumuis balbutiendo, & palpitando orationem effundat, gratam tamen habere dignatur. Ioann. 11.

Septimò, Frequentèr inter orandum, nobiſcum ratiocinandum eſt, vt de neceſsitate faciamus virtutem: Peccamus in hoc mundo, quid mirum, ſi patiamur? & quid vtilius quam hîc pati libenter? quot in hac conditione naturæ, per diuinam gratiam de hoſtibus triumphos reportamus, & ſoluto pretio trophæa, merceſque cœleſtes nobis comparamus? Experientiâ conſtat, paratâ pecuniâ longè viliori pretio merces coëmi, ſimiliter meliori pretio emitur cœlum, ſi hic patiaris alacriter, quam ſi per terminos (vt Mercatores loquuntur) ſatisfacias, in hoc ſæculo tolerando aliquid, & poſtmodum aliquid in futuro. Cognitione culpæ, flagelli dolor temperetur, tanto enim quiſque patientiùs

ferramentum Medici tolerat, quanto putridum conſpicit eſſe quod ſecat. *Non ſecundum peccata*, ait Dauid, *fecit nobis, neque ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis*. Non ſolùm autem in hac vitâ, iſtâ Deus moderatione vtitur, vt puniat citra condignum, ſed in ipſomet damnatorum loco. Quocirca dicere quiuis peccator poteſt, ac debet, quantumuis puniatur, illud Iob: *Peccaui, & verè deliqui, & vt eram dignus non recepi*. Vt afflictionis pœna leuigetur, culpæ pondus agnoſcatur. Vt igitur conuentus orantium Deo ſit gratus, vnuſquiſq; ſuper vitam ſuam, feriò ſe reflectat. Sicut in cœtu Muſicorum, vt Symphonia grata ſit, vnuſquiſque quacumque voce, ſiue baſsâ, ſiue ſuperiore vtatur, attendere debet ad notas ſuas Symphonaſco dante menſuram. Simili modo ſinguli in ſtatum ſuum, ſiue, altus, ſiue humilis ſit, oculos conijciant, ne diſſonantia ex neglectu huius rei exorta, Dei aures offendat. Quantum eſt ex parte Summi Magiſtri, exactè menſuram tenet. *Fide-*

Pſal. 42. Iob. 33. 1. Cor. 10.

lis

lis Deus qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis. Humanas vires intelligit diuino præſidio nixas. Et *Potum dabit vobis in lachrymis in menſurá*. Id eſt, in diſtributo modulo, quem in pharmacis etiam præſcribit Medicus. Notat Origines Deum in cruciatibus ſuis, & tormentis miſcere clementiam tanquam Patrem & Magiſtrum indulgentiſsimum & prudentiſsimum. *Poteſt Deus*, inquit Chryſoſtomus, *omnia grauia hac ipsâ die ſoluere, ſed donec nos purgatos videat, donec videat factam conuerſionem, & pœnitentiam firmam, & inconcuſſam non diſſoluit tribulationem.* Et paulò pòſt: *Opus noſtrum, ad virtutem mutari, Dei verò opus, malis vrgentibus finem imponere, etenim ipſe magis quam tu, qui tentaris, hoc incendium extinguere vult, ſed ſalutem tuam exſpectat. O quanta eſt infideliſsimarum metium cœcitas*, ait Saluianuſa Maſſilienſis Epiſcopus, *damnationem perferimus iudicantis Dei, & necdum agnoſcimus nos iudicari!*

Pſa. 79.

Chryſoſtom. ad popul. Hom. 4.

Saluianus de preuidentia Dei lib. 4.

dicari! Et poſt pauca: *Deus vocat nos, vocat ad pœnitentiam, ſed nos theſaurizamus iram. Deus nos inuitat ad veniam: ſed nos quotidie cumulamus offenſam. Vim Deo facimus iniquitatibus noſtris, ipſi in nos iram diuinitatis armamus. Cogimus ad vlciſcendas criminum noſtrorum immanitates, nolentem Deum: propè eſt, vt eum non permittamus, vt parcat. Nam cum in illum nullum vnquam iuſtitiæ ſignum cadere, aut apparere poſſit, ſic agimus, vt ſi enormitates noſtrorum ſcelerum non vlciſcitur, iniuſtus eſſe videatur.* Epilogi loco ſit iſta Eccleſiæ: Oratio *Concede quæſumus omnipotens Deus, vt qui ex merito noſtræ actionis affligimur, tuæ gratiæ conſolatione reſpiremus.*

Sabbatho ante Dom. 4 Quadrag.

FINIS.

Authores è quibus teſtimonia deprompta ſunt.

A.

Ambroſius.
Auguſtinus.
Albinus.

B.

Baſilius Magnus.
Bernardus.
Beda.
Bonauentura.
Baronius.

C.

Clemens Romanus.
Clemens Alexandrinus.
Cyrillus.
Chryſoſtomus.
Cyprianus.
Chryſologus.
Chromatius.
Caſſiodorus.
Climachus.
Carolus Borromæus.

D.

Dorotheus.
Dubrauius.

E.

Ephrem.
Euſebius.

G.

Gregorius Magnus.
Gregorius Nyſſenus.
Gelaſius Papa.
Germanus.

H.

Hieronymus.
Hilarius.
Hugo Cardinalis.

I.

Iuſtinus Martyr.
Ioannes Diaconus.

L.

Leo.

O.

Origenes.
Oroſius.

P.

Paſchaſius.
Pontius.
Procopius.

R.

Richardus.
Rabanus.

S.

Saluianus.
Sigonius.

T.

Tertullianus.
Theodoretus.
Theophylactus.
D. Thomas.

Z.

Zonaras.

Digitized by Google

CAPITVM INDEX.

CAPVT I.

Orationis Efficacia. Pag. 5

II.

Oratio multorum valida. 9

III.

Argumenta, Orationem impugnantium. 16

IV.

Aliud genus Argumentorum. 26

V.

De rebus, quæ in publicis Conuentibus ad orandum inſtitutis, à Deo petuntur. 35

VI.

De Oratione, pro Exaltatione Eccleſiæ. 39

VII.

De Oratione, pro Extipatione Hæreſeon. 51

VIII.

De Oratione, pro Concordia Chriſtianorum Principum. 60

IX.

De Oratione, pro pace obtinenda. 70

Digitized by Google

X.
De Precibus indictis, in Litanijs, tempore belli. 76

XI.
De Precibus, pro impetrandâ pluuiâ, poſtulandâ ſerenitate, vel tempeſtate repellendâ. 83

XII.
De Oratione, tempore periuriæ & famis. 93

XIII.
De Precibus, tempore mortalitatis & peſtis. 99

XIV.
De Oratione Quadraginta horarum. 115

XV.
De Oratione, pro Summo Pontifice. 126

XVI.
Aduerſus errores, præpoſterè de tribulationibus ſentientium. 131

XVII.
Cur communis Calamitas, inuoluat etiam bonos? 142

XVIII.
De Arte Orandi, cum inſurgit calamitas, vel tentatio. 146

Digitized by Google

Digitized by Google

LEGATORIA
R. SALV R

Digitized by Google

dicari! Et poſt pauca: *Deus vocat nos, vocat ad pœnitentiam, ſed nos theſaurizamus iram. Deus nos inuitat ad veniam: ſed nos quotidie cumulamus offenſam. Vim Deo facimus iniquitatibus noſtris, ipſi in nos iram diuinitatis armamus. Cogimus ad vlciſcendas criminum noſtrorum immanitates, nolentem Deum: propè eſt, vt eum non permittamus, vt parcat. Nam cum in illum nullum vnquam iniuſtitiæ ſignum cadere, aut apparere poſſit, ſic agimus, vt ſi enormitates noſtrorum ſcelerum non vlciſcitur, iniuſtus eſſe videatur.* Epilogi loco ſit iſta Eccleſiæ: Oratio *Concede quæſumus omnipotens Deus, vt qui ex merito noſtræ actionis affligimur, tuæ gratiæ conſolatione reſpiremus.*

Sabbatho ante Dom. 4 Quadrag.

FINIS.

Authores è quibus teſtimonia deprompta ſunt.

A.

Ambroſius.
Auguſtinus.
Albinus.

B.

Baſilius Magnus.
Bernardus.
Beda.
Bonauentura.
Baronius.

C.

Clemens Romanus.
Clemens Alexandrinus.
Cyrillus.
Chryſoſtomus.
Cyprianus.
Chryſologus.
Chromatius.
Caſſiodorus.
Climachus.
Carolus Borromæus.

D.

Dorotheus.
Dubrauius.

E.

Ephrem.
Euſebius.

G.

Gregorius Magnus.
Gregorius Nyſſenus.
Gelaſius Papa.
Germanus.

H.

Hieronymus.
Hilarius.
Hugo Cardinalis.

I.

Iuſtinus Martyr.
Ioannes Diaconus.

L.

Leo.

O.

Origenes.
Oroſius.

P.

Paſchaſius.
Pontius.
Procopius.

R.

Richardus.
Rabanus.

S.

Saluianus.
Sigonius.

T.

Tertullianus.
Theodoretus.
Theophylactus.
D. Thomas.

Z.

Zonaras.

Digitized by Google

CAPITVM INDEX.

CAPVT I.

Orationis Efficacia. Pag. 5

II.

Oratio multorum valida. 9

III.

Argumenta, Orationem impugnantium. 16

IV.

Aliud genus Argumentorum. 26

V.

De rebus, quæ in publicis Conuentibus ad orandum inſtitutis, à Deo petuntur. 35

VI.

De Oratione, pro Exaltatione Eccleſiæ. 39

VII.

De Oratione, pro Extipatione Hæreſeon. 51

VIII.

De Oratione, pro Concordia Chriſtianorum Principum. 60

IX.

De Oratione, pro pace obtinenda. 70

X. De

Digitized by Google

INDEX.

X.

De Precibus indictis, in Litanijs, tempore belli. 76

XI.

De Precibus, pro impetrandâ pluuiâ, poſtulandâ ſerenitate, vel tempeſtate repellendâ. 83

XII.

De Oratione, tempore periuriæ & famis. 93

XIII.

De Precibus, tempore mortalitatis & peſtis. 99

XIV.

De Oratione Quadraginta horarum. 115

XV.

De Oratione, pro Summo Pontifice. 126

XVI.

Aduerſus errores, præpoſterè de tribulationibus ſentientium. 131

XVII.

Cur communis Calamitas, inuoluat etiam bonos? 142

XVIII.

De Arte Orandi, cum inſurgit calamitas, vel tentatio. 146

Digitized by Google

Digitized by Google

LEGATORIA
R. SALV
Via Val S
Tel.

Digitized by Google